





PROPRIUM ORDINIS PRÆDICATORUM

DOCUMENTA

II

ORDO  
UNCTIONIS INFIRMORUM  
EORUMQUE  
SPIRITUALIS CURÆ

ROMÆ

AD S. SABINÆ 2008



## PRÆFATIO

FR. CAROLI ALPHONSI AZPIROZ COSTA O.P.

MAGISTRI ORDINIS PRÆDICATORUM

*Ordinem Unctionis infirmorum eorumque spiritualis curæ* litteris die 29 aprilis 2001<sup>1</sup> ac *Ordinem Exsequiarum* litteris die 4 iunii eiusdem anni<sup>2</sup> datis, Fr. Timotheus Radcliffe, antecessor meus, promulgavit. Hæc duo volumina, utpote sectiones Ritualis Ordinis instaurati, illæ variæ Commissiones et cœtus fratrum et sororum confecerunt, quæ Magistris Ordinis subinde iubentibus traditionem nostram liturgicam recensuerunt, una cum Commissionibus liturgicis nonnullarum Provinciarum Ordinis, ad instaurationem nostrorum usuum liturgicorum ac regularium consequendam.

Quos inter cœtus maxime recolenda videtur Commissio de Liturgia, “parva” seu “specialis” dicta, cui Fr. Alphonsus D’Amato præfuit: ipsa enim annis 1973-1974, iussu Fr. Aniceti Fernández, Magistri Ordinis, pro Capitulo Generali apud Madonna dell’Arco celebrando (1974) recensione elementorum particularium paravit quæ, e nostra traditione liturgica deprompta, Ordo servanda censeret. Illud igitur Capitulum documentum inter alia approbavit quod inscribitur « Adaptationes ad Ordinem Prædicatorum illarum partium Ritualis Romani quæ vocantur “Ordo Unctionis infirmorum” et “Ordo Exsequiarum” ». Quod documentum (Introductio generalis, sectiones rituales et textus appropriati), Congregationi pro Sacramentis et Cultu Divino subiectum, eius approbationem accepit.<sup>3</sup> Ut enim Card. Iacobus R. Knox, Præfectus Congregationis, scripsit, hæc elementa liturgiæ infirmorum et defunctorum, quippe quæ e libris traditionis nostræ, Missali scilicet et Breviario, sint deprompta, confirmata sunt « ad mentem principii de debito honore tribuendo Ritibus particularibus, a Concilio Vaticano II (Sac. Conc. 4) sollemniter statuto ».

Elementa autem ad liturgiam infirmorum et defunctorum pertinentia, in *Analectis O.P.* (vol. 43, 1977, pp. 141-159) publici iuris facta, non ad modum Ritualis plenioris exhibebantur. Variæ igitur Provinciæ necnon Monasteria monialium O.P., petierunt ut Ordo editionem pararet sub forma Ritualis confectam, ubi invenirentur, una cum elementis seu textibus li-

---

<sup>1</sup> Prot. N° 66/01/593.

<sup>2</sup> Prot. N° 66/01/1007.

<sup>3</sup> Decr. 25 iulii 1977, Prot. CD 671/76: ASOP 43, 1977, p. 133.

turgicis, etiam orientationes pro actuali usu in communitatibus nostris habendo, attentis condicionibus et consuetudinibus vitæ regularis nostræ.

Opus igitur recognitionis, præparationis et editionis Ritualis nostri Fr. V. de Couesnongle, D. Byrne et T. Radcliffe, Magistri Ordinis, Commissioni liturgicæ commiserunt cui fr. Vincentius Romano præerat: idemque suo munere usque ad mensem novembris 2001 perfunctus est. Quæ quidem Commissio, compluribus fratribus et sororibus adiuvantibus, magnum opus perfecit præsentationis et ritualis dispositionis elementorum liturgiæ nostræ traditionalis pro infirmis et defunctis. In Appendice utriusque voluminis indicationes præbentur ad communitates nostras pro earum diversitate (fratrum scilicet, monialium, sororum et laicorum) adiuvandis, ut huiusmodi christianas vices et in liturgia et in actione pastorali erga membra Familiæ Dominicanæ vivant eximie.

Mense iunii 2001 Curia Generalitæ visum est hæc duo volumina a Commissione annis 1991-2001 confecta et latina et italica lingua transmitti, antequam imprimerentur, ad Congregationem pro Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quasi ad extremam "recognitionem" petendam, quamvis omnes textus a supradicta Congregatione iam anno 1976 essent confirmati. Simili modo instauratio rituum *Proprii de Tempore* peracta erat, qui impressi sunt in *Missali et Lectionario O.P.* (edd. V. de Couesnongle et D. Byrne). Tum enim, singillatim respondens litteris ab Exc.mo D.no Virgilio Noè obsignatis,<sup>4</sup> Congregatio Ordinem adhortabatur ad ritus suos instaurandos et communitatibus Dominicanis offerendos.

Hucusque autem confirmatio pro his duobus Ritualibus nostris nondum pervenit. Quod quidem intelligi potest si consideratur quam multa fascicula Congregationi illi sint inspicienda pro universa Ecclesia et pro Conferentiis episcoporum, necnon et pro Institutis vitæ consecratæ. Præterea, quamvis hæc opera, a Commissione Dominicana anno 2001 confecta, copiosis relationibus illustrata Congregationi sint exhibita, adhuc nonnullæ difficultates interpretandi permanent.

Qua situatione respecta, nobis visum est ut Communitatibus nostris iam nunc aperiatur accessus ad ea quæ Commissio liturgica paravit exinde ab elementis liturgicis ab Ordine approbatis atque tunc temporis a Congregatione pro Cultu Divino confirmatis. Hoc opus peractum est iuxta normas a Sancta Sede editas pro recognitione librorum liturgicorum ac præsertim iuxta methodum ab eadem Commissione pro *Ordine Professionis O.P.* (ed. 1999) adhibitam. Ob liturgicam et pastoraalem Familiæ Dominicanæ necessitatem, ad nostram traditionem liturgicam et regularem

---

<sup>4</sup> Prot. CD 524/83.

plenius accedendi quoad pertinet ad liturgiam infirmorum et defunctorum, hæc duo volumina a Commissione liturgica in serie *Documentorum*, quæ sunt pars *Proprii O.P.*, edi iussi. Quæ quidem et typographica forma non ut vera Ritualia sed ut “instrumenta laboris” exhibentur. Ipsa enim, ut in libris traditionis nostræ, præter elementa celebrationis etiam orientationes offerunt, pro usu communitario et regulari horum rituum, præsertim in “nota prævia” uniuscuiusque capituli positas.

Communitates Ordinis in sua vita liturgica, etiam cum de infirmis agitur atque defunctis, moneo ut præscriptiones Ecclesiæ et liturgiæ a Concilio Vaticano II renovatæ sequantur atque libros liturgicos suæ Conferentiæ episcopalis suscipiant. Cum igitur Sedes Apostolica novam editionem typicam *Ordinis Unctionis* et *Ordinis Exsequiarum* edat, cordi erit Ordini indicationes præbere ut vita nostra liturgica magis magisque e novissimis itineribus liturgiæ renovatæ Ecclesiæ Latinæ valeat haurire.

Opto igitur ut Provinciæ, Monasteria, Congregationes et Fraternitates laicorum sancti Dominici statim divitiis fruantur utriusque voluminis quod nunc offertur.<sup>5</sup> Pro eorum versione, vel alicuius eorum partis, præ oculis habeantur orientationes generales a Sede Apostolica præbitæ necnon etiam ab Ordine peculiaribus notis directivis commemoratæ. Quam ob rem etiam indicationes in instructione *Liturgiam authenticam* atque in aliis recentibus documentis præbitas recollere iuvabit.



Fr. Carolus Alphonsus AZPIROZ COSTA, O.P.  
*Magister Ordinis*



Fr. Christophorus HOLZER, O.P.  
*Secretarius generalis*

*Prot. n. 66/08/27 Rituale degli Infermi*

Die 14 septembris 2008, in festo Exaltationis S. Crucis

---

<sup>5</sup> De elementis vero propriis Ordini Card. Iacobus R. Knox in decreto supra dicto scripsit: « adhiberi valeant, de iudicio singularum communitatum, attentis bono spirituali et profectu pastorali tum ipsius communitatis tum fidelium qui ecclesias Ordinis frequentare solent ».







NOS

FR. TIMOTHEUS RADCLIFFE O.P.

S. THEOLOGIÆ PROFESSOR  
AC TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM  
HUMILIS MAGISTER ET SERVUS

## LITTERÆ PROMULGATIONIS MAGISTRI ORDINIS\*

**1.** SINGULIS VITÆ ITINERIBUS ad Christi sequelam vocamur iuxta exemplum sancti Dominici, Patris nostri, utpote quos propositum fundamentale Ordinis et ad communionem et ad missionem urgeat et moveat. Sicubi igitur de evangelica significatione infirmitatis diversis vitæ nostræ circumstantiis testimonium perhibemus;<sup>1</sup> una cum tot fratribus et sororibus compatientes, tunc prædicatores eloquentes efficimur mysterii paschalis, crucis scilicet simul ac resurrectionis Redemptoris. Siquidem vero, “bonorum virorum est supportare invicem infirmitates mutuas”<sup>2</sup> ad legem Christi adimplendam,<sup>3</sup> sodales Ordinis provocantur ut “ex omnium infirmorum necessitatibus commoti, alter ad alterum in omni ætate atque vitæ condicione constitutum sint intenti”.<sup>4</sup> Omni vero tempore, ut monuit Capitulum generale anni 1974, “sollicitudo nostra, quæ per fraternum auxilium et orationem communitariam manifestatur, optime testimonium præbet in mundo de necessitudine per Evangelium obtenta, de fide nostra in Deo et de potentia Resurrectionis Filii eius”.<sup>5</sup>

In ipso ministerio Ordinis nostri multi inter sodales eius occurrunt infirmis vel impeditis vel iis quos vita quodammodo vulneravit. Sunt

---

\* Abbreviationes et sigla inveniuntur infra, pp. 13-16.

<sup>1</sup> Cf. SD, n. 25.

<sup>2</sup> Humbertus I, p. 375.

<sup>3</sup> Cf. Gal 6,2.

<sup>4</sup> ACG 1992, p. 231.

<sup>5</sup> ASOP 1977, p. 144, n. 5.

quidem qui in nosocomiis vel valetudinariis operentur. Hæc omnia utique locum dant ad probandum sensum fidei et caritatis qui communitatem nostram vivificare debet, etiam in temporibus doloris quæ alicui fratri vel sorori contingere possunt.<sup>6</sup>

### *De traditionis Ordinis memoria recolenda*

**2.** Ab initiis Ordinis, Constitutiones nostræ diligentiam circa infirmos curandos et visitandos præpositis præcipiebant,<sup>7</sup> multaque Capitula generalia “infirmorum caritativam procurationem”<sup>8</sup> commendabant. Officia igitur Ordinis explanans, Humbertus de Romans adfirmat “non esse maiorem misericordiam quam quæ exercetur circa infirmos (..) ut Deo ex toto corde serviatur, immo et ei in proximo, seu ei in proximo et proximo in eo”.<sup>9</sup> Ne defuerunt quidem qui, decursu sæculorum, apud Confraternitates laicales et modernas sororum Congregationes Ordini aggregatas evangelicæ caritatis munus vel misericordiæ ministerium pro infirmis curandis et visitandis exercuerint.

Huiusmodi orientationum institutionalium et apostolicarum exemplum dedit Dominicus ipse, qui exstitit “pater et consolator infirmorum fratrum et eorum qui erant in tribulationibus”.<sup>10</sup> Sed et pluri sancti et sanctæ Ordinis nostri compassionem istam evangelicam exhibuerunt, ut Margarita de Hungaria, Catharina Senensis, Martinus de Porres, Ioannes Macias, Maria Poussepin, Petrus Georgius Frassati et alii.

### *De traditione liturgica Ordinis renovanda*

**3.** Hodiernæ quoque Constitutiones nobis præcipiunt<sup>11</sup> curam de infirmis et senioribus habendam; ipsaque eo magis cordi debet esse nobis, dum quidem civilis societas et evangelicis seminibus perfusa et novis instrumentis technologicis ditata, tamen propter demographica et socialia mutamenta impatientia temptatur erga eos qui sunt invalidi corpore vel inepti mente.

<sup>6</sup> Cf. ACG 1992, pp. 231-233; VFC, n. 68.

<sup>7</sup> *I Const.* I 11.

<sup>8</sup> ACG IV, p. 388 (a. 1360).

<sup>9</sup> Cf. Humbertus, I, pp. 205 sq.

<sup>10</sup> LCO, n. 9; LCM, n. 8 § I.

<sup>11</sup> LCO, nn. 9-10; LCM, nn. 8-10.

4. Una vero cum fraternis et institutionalibus curis adhibendis, Ordo noster semper sollicitus fuit etiam de spirituali solacio fratribus vel sororibus præbendo<sup>12</sup> atque de liturgicis quoque subsidiis præstandis, prout ex ipsis libris nostris liturgicis elucet.<sup>13</sup> Nunc vero liturgia iuxta Concilium Vaticanum II fideliter renovata fruentes, quædam elementa antiqui ritus nostri conservare impetravimus<sup>14</sup> et nunc universæ Familiæ Dominicanæ hoc libro præbemus, quo iis commodius eius sodales frui possint.

5. Hæc quidem elementa, quodammodo renovata, communitates Ordinis nostri hucusque potuerunt adhibere, iuxta aptationes a Capitulo generali anni 1974 approbata necnon et a Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino confirmata atque una cum animadversionibus ab eadem Congregatione allatis publicata.<sup>15</sup> Nunc vero ad traditionem liturgicam Ordinis rite recipiendam et in praxim reducendam, necessarium duximus assumere hæc elementa specifica *Processionarii*<sup>16</sup> textu totaliter instaurato iuxta *Ordinem Unctionis Infirmorum*.<sup>17</sup>

6. Hoc igitur Rituale nostrum sua peculiaritate præditum existit, ut ex Introductione generali et ex Notis præviis cuique capiti præpositis eruitur. Quibus ex indicationibus nonnullas tantum ipse signanter commendo, utpote quæ novam indolem huius Ritualis instaurati exprimant:

a) in ritibus describendis, diversitas condicionum est semper considerata, utrum scilicet fratres vel sorores in communitate an in nosocomio versentur, et utrum adsit magna an parva pars communitatis;

b) item, “notæ præviæ” cuiusque capituli varias aptationes proponunt, ad orandum in choro vel in communi sicubi apud infirmum plures adesse non potuerunt;

c) actus fraternitatis indicantur vel proponuntur e nostra traditione deprompti vel e contextu hodierno vitæ nostræ desumpti, ad connexionem scilicet exprimentam inter fraternam atque sacramentalem vitam;

---

<sup>12</sup> Cf. LCO, n. 11; LCM, nn. 11-12.

<sup>13</sup> Cf. PS, pp. 158-186; COP, pp. 574-586.

<sup>14</sup> Cf. infra, « Intr. », nn. 1-4.

<sup>15</sup> ASOP 1977, pp. 143-159.

<sup>16</sup> Sic appellabatur in Ordine, inde a Medii Ævi ætate, liber qui postea *Rituale* nuncupatus est. Etiam *Collectarium* et *Breviarium* O.P. eosdem ritus continent, paucis cum variationibus.

<sup>17</sup> Cf. OUI, nn. 38-39.

d) textus et formularia traditionis nostræ recognita una cum elementis modernis proponuntur. Omnia autem, sive ad nostram traditionem referuntur sive ad sensum humanum vel religiosum huius temporis, convenienter aptari possunt, vel in versionibus huius Ritualis vel a ministro hunc librum pro adiunctis adhibente;

e) facultas denique hoc Rituale adhibendi ad libitum in primis offertur nostris communitatibus fratrum vel monialium vel sororum, quasi complementum ipsius Ritualis Romani.

7. Communitatibus Præpositi curent ut fratres vel sorores hauriant divitias spirituales et intentiones liturgiæ instauratæ.<sup>18</sup> Rationem studiorum<sup>19</sup> exsequentes, formatores instruant studentes ad Rituale Ecclesiæ cognoscendum necnon vim rituum qui et in nostris libris liturgicis continentur.

### *Promulgatio et versiones huius Ritualis infirmorum*

8. Præsens editio Ritualis infirmorum, utpote pars *Proprii* nostri ab Ordine approbata et pro recognitione Apostolicæ Sedi præsentata, quæ eam rite confirmaverat quoad eius elementa ritualia, deinceps tamquam “typica” habeatur pro universis Familiæ Dominicanæ sodalibus, sub uniuscuiusque regula constitutis.

9. Huius libri versiones linguis vernaculis<sup>20</sup> parentur et si casus ferat aptationes, sub responsabilitate Provincialium quibus competit aut illius Provincialis cui hoc munus committitur, sicubi de commissione interprovinciali agitur pro Provinciis unius regionis linguisticæ.

Quibus in versionibus et aptationibus conficiendis, præ oculis habeantur normæ seu indicationes a Sede Apostolica et a Conferentiis Episcopalibus editæ, necnon et indicationes iussu Magistri Ordinis confectæ<sup>21</sup> atque ea quæ in Prænotandis Ritualis Romani<sup>22</sup> vel hic in-

<sup>18</sup> ASOP 1977, p. 145, n. 7.

<sup>19</sup> Cf. *Ratio studiorum generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum*, Romæ 1993, nn. 17-18.

<sup>20</sup> Una cum textu latino huius partis Ritualis, versio italica et francogallica approbata est ab Ordine.

<sup>21</sup> Cf. V. Romano, *Indicationes quædam pro adaptatione Proprii liturgici O.P. a Provinciis perficienda*, 24 iun. 1978, ASOP 1979, pp. 13-30.

<sup>22</sup> OUI, nn. 38-39.

fra (« Intr. », nn. 35-38) proponuntur. Versionibus huius Proprii inseri poterunt quædam consuetudines loci quæ a Sede Apostolica sint probatæ.

Unaquæque versio vel aptatio huius libri mittatur ad Magistrum Ordinis ut diligenter perspecta et, si necesse fuerit, correcta, ab eo rite approbetur antequam ab eodem ad Congregationem pro Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum transmittatur ut confirmationem accipiat.<sup>23</sup>

**10.** Præstet Dominus ut “habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes, sollicitudine non pigri, in tribulatione patientes, necessitatibus fratrum communicantes”,<sup>24</sup> mysterium doloris ac infirmitatis pro unoquoque nostrum in viam communionis mutemus atque salutis.<sup>25</sup>

Datum Romæ, e Curia nostra generalitia, die 29 aprilis in festivitate S. Catharinæ Senensis, anno 2001.

Fr. Timothy RADCLIFFE, O.P.

*Magister Ordinis*

Fr. Vincenzo ROMANO, O.P.

*Præses Commissionis  
liturgicæ Ordinis*

*Prot. N° 66/01/593*

---

<sup>23</sup> Cf. SCSCD, “De Calendariis particularibus atque Missarum et Officiorum Propriis recognoscendis”: “Notitiæ” 10, 1974, pp. 87-88; *ibid.* 13, 1977, pp. 557-558.

<sup>24</sup> Cf. *Rom* 12,6.10.12.13.

<sup>25</sup> Cf. Catharina Senensis, *Epist.* 5.



## ABBREVIATIONES ET SIGLA

- AAS** “Acta Apostolicæ Sedis”, Romæ 1909 sqq.
- ACG** “Acta Capitulorum Generalium Ordinis Prædicatorum”.
- AOP** “Analecta Ordinis Prædicatorum”, Romæ 1998 sqq. (usque ad a. 1998 = ASOP).
- ARH** Departamento de Pastoral Sanitaria, *La asistencia religiosa en el hospital. Orientaciones pastorales*, Madrid 1987.
- ASOP** “Analecta Sacri Ordinis Prædicatorum”, Romæ 1893-1997 (post a. 1997 = AOP).
- BB** *Breviarium O.P.*, ed. M. Browne, I et II, Romæ 1962.
- BOP** *Bullarium Ordinis Fratrum Prædicatorum*, ed. A. Brémond, t. I, Romæ 1729.
- CCE** *Catechismus Catholicæ Ecclesiæ*, ed. typica Latina, Città del Vaticano 1997.
- CIC** *Codex Iuris Canonici*, auctoritate Ioannis Pauli II promulgatus, 25 ian. 1983.
- CIVCSVA** Congregatio pro Institutis vitæ consecratæ et Societatum vitæ apostolicæ (usque ad diem 28 februarii 1989).
- I Const.** *Constitutiones antiquæ Ordinis Fratrum Prædicatorum (1215-1237)*, ed. A. H. Thomas, *De oudste Constituties van de Dominicanen...*, Leuven 1965 (Bibliothèque de la Revue d'histoire ecclésiastique, Fasc. 42), pp. 309-369.
- COP** *Cæremoniale iuxta ritum S. Ordinis Prædicatorum*, ed. A. V. Jandel, Mechliniæ 1869.
- COS** Pontificio Consiglio della Pastorale per gli Operatori Sanitari, *Carta degli operatori sanitari*, Città del Vaticano 1995<sup>4</sup>.
- CSCD** Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino (usque ad diem 26 novembris 1983: SCSCD).
- CSOP** *Collectarium Sacri Ordinis FF. Prædicatorum*, ed. V. Ajello, Roma 1846.
- DB** *De benedictionibus*, editio typica, Romæ 1985.
- Eccl. Off.** *Ecclesiasticum Officium secundum Ordinem Fratrum Prædicatorum...*, vulgo dictum ‘*Prototypus Humberti de Romanis*’, AGOP XIV L 1 (sæc. XIII).
- EDIL** R. Kaczynski (ed.), *Enchiridion documentorum instaurationis liturgicæ*, I (1963-1973), Torino 1976; II (1973-1983), Roma 1988; III (1983-1993), Roma 1997.

- EV** “Enchiridion Vaticanum”, Bologna 1993<sup>14</sup> sqq.
- GeV** *Sacramentarium Gelasianum*, ed. L.C. Mohlberg, *Liber sacramentorum romanæ ecclesiæ ordinis anni circuli*, Roma 1960.
- Gre** *Sacramentarium Gregorianum*, ed. J. Deshusses, *Le sacramentaire grégorien, ses principales formes d'après les plus anciens manuscrits*, Fribourg, 2<sup>ème</sup> et 3<sup>ème</sup> édition, I, II et III, 1988-1992.
- Humbertus** Humbertus de Romanis, *Opera de vita regulari*, ed. J.-J. Berthier, I et II, Romæ 1888-1889 (reimpressio: Torino 1956).
- IGMR<sup>§</sup>** *Missale Romanum, Institutio Generalis*, ex editione typica tertia cura et studio Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum excerpta, Città del Vaticano 2000.
- LCM** *Liber Constitutionum Monialium O. P.*, ed. D. Byrne, ASOP 95, 1987, pp. 20-81.
- LCO** *Liber Constitutionum et Ordinationum Fratrum Ordinis Prædicatorum* (1968), Romæ 1998.
- LHOP** Liturgia Horarum. *Proprium Officiorum O. P.*, ed. V. de Couesnongle, Romæ 1982.
- LR** *Missale Romanum, Lectionarium, III: Pro Missis de Sanctis, ritibus, ad diversa, votivis et defunctorum*, editio typica, 1972.
- MA** *Missale Ambrosianum*, Mediolani 1981.
- MLOP** *Proprium Ordinis Prædicatorum, Missale et Lectionarium*, edd. V. de Couesnongle - D. Byrne, Romæ 1985.
- MOP** *Missale iuxta ritum Ordinis Prædicatorum*, ed. A. Fernández, Romæ 1965.
- MOPH** *Monumenta Ordinis Fratrum Prædicatorum Historica*, Lovanii - Romæ 1896 sqq.
- MR<sup>3</sup>** *Missale Romanum*, editio typica tertia, Typis Vaticanis 2002.
- OE** *Rituale Romanum, Ordo Exsequiarum*, editio typica, Typis Polyglottis Vaticanis 1969.
- OP** *Rituale Romanum, Ordo Pænitentiae*, editio typica, Typis Poliglottis Vaticanis 1974.
- OUI** *Rituale Romanum, Ordo Unctionis Infirmorum eorumque pastoralis curæ*, editio typica, Typis Polyglottis Vaticanis 1972.
- PRG** C. Vogel - R. Elze (edd.), *Le pontifical romano-germanique du dixième siècle: Le texte*, II, Città del Vaticano 1963.
- PS** *Processionarium S.O.P.*, ed. E. Suarez, Romæ 1949.



SC	Concilium Vaticanum II, Constitutio de sacra liturgia <i>Sacrosanctum Concilium</i> , 4 dec. 1963: AAS 56, 1964, pp. 97-124 et EDIL I, pp. 1-27.
SCCD	Sacra Congregatio pro Cultu Divino (usque ad diem 10 iul. 1975).
SCCME	Rituale Romanum, <i>De sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam</i> , editio typica, Typis Polyglottis Vaticanis 1973.
SCRIS	Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis Sæcularibus (usque ad 1 mart. 1968: S. Congregatio de Religiosis [a die 1 mart. 1989: CIVC-SVA]).
SCSCD	Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino (a die 11 iulii 1975 usque ad diem 4 apr. 1984 [a die 27 novembris 1983: CSCD]).
SD	Ioannes Paulus II, Epistula Apostolica <i>Salvifici doloris</i> de christiana doloris humani significatione, 11 febr. 1984: AAS 76, 1984, pp. 201-250.
SRC	Sacra Rituum Congregatio Rituum (usque ad diem 7 maii 1969).
SUI	Paulus VI, Constitutio Apostolica <i>Sacram Unctionem infirmorum</i> de sacramento Unctionis infirmorum, 30 nov. 1972: AAS 65, 1973, pp. 5-9 = EDIL I, nn. 2918-2923.
S. Th.	S. Thomas Aquinas, <i>Summa Theologiæ</i> .
VFC	CIVCSVA, <i>La vita fraterna in comunità</i> , 2 febr. 1994: EV 14, nn. 345-537.

### Sigla Sacræ Scripturæ

Act	Actus Apostolorum
Ap	Apocalypsis beati Ioannis apostoli
Col	Epistola beati Pauli apostoli ad Colossenses
1 et 2 Cor	Epistola I et II beati Pauli apostoli ad Corinthios
Gal	Epistola beati Pauli apostoli ad Galatas
Gen	Liber Genesis
Hebr	Epistola ad Hebræos
Iac	Epistola beati Iacobi apostoli
Io	Evangelium secundum Ioannem
1 Io	Epistola I beati Ioannis apostoli
Iob	Liber Iob
Is	Liber Isaïæ prophetæ
Lc	Evangelium secundum Lucam

<b>Mc</b>	Evangelium secundum Marcum
<b>Mt</b>	Evangelium secundum Matthæum
<b>1 Petr</b>	Epistola I beati Petri apostoli
<b>Prov</b>	Liber Proverbiorum
<b>Ps</b>	Liber Psalmorum
<b>2 Reg</b>	Liber II Regum
<b>Rom</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Romanos
<b>1 et 2 Tim</b>	Epistola I et II beati Pauli apostoli ad Timotheum

## CONSTITUTIO APOSTOLICA\* DE SACRAMENTO UNCTIONIS INFIRMORUM

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

**S**ACRAM UNCTIONEM INFIRMORUM unum esse e Septem Sacramentis Novi Testamenti profitetur et docet Ecclesia Catholica, a Christo Domino nostro institutum, « apud Marcum quidem insinuatum (Mc 6, 13), per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. *Infirmatur, inquit, quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei (Iac 5,14-15)* ». <sup>1</sup>

Unctionis infirmorum iam ab antiquis temporibus habentur testimonia in Traditione Ecclesiae, praesertim liturgica, tum in Oriente tum in Occidente. Specialiter sunt memorandae Epistula, quam Innocentius I, Decessor Noster, ad Decentium Episcopum Eugubinum conscripsit, <sup>2</sup> necnon venerabilis illa oratio ad benedicendum Oleum infirmorum adhibita: « Emitte, Domine, Spiritum Sanctum tuum Paraclitum », in Precem Eucharisticam inserta <sup>3</sup> et hucusque in Pontificali Romano servata. <sup>4</sup>

---

\* AAS 65 (1973), pp. 5-9.

<sup>1</sup> CONC. TRID., Sess. XIV, *De extr. unct.*, cap. I (cf. *ibid.* can. 1): CT VII, 1, 355-356; Denz.-Schön. 1965, 1716.

<sup>2</sup> Epist. *Si Instituta Ecclesiastica*, cap. 8: PL 20, 559-561; Denz.-Schön. 216.

<sup>3</sup> *Liber Sacramentorum Romanae Ecclesiae Ordinis Anni Circuli*, ed. L. C. MOHLBERG (*Rerum Ecclesiasticarum Documenta, Fontes, IV*), Roma 1960, p. 61; *Le Sacramentaire Grégorien*, ed. J. DESHUSSES (*Spicilegium Friburgense*, 16), Fribourg 1971, p. 172; cf. *La Tradition Apostolique de Saint-Hippolyte*, ed. B. BOTTE (*Liturgiewissenschaftliche Quellen und Forschungen*, 39), Münster in W. 1963, pp. 18-19; *Le Grand Euchologe du Monastère Blanc*, ed. E. LANNE (*Patrologia Orientalis XXVIII*, 2), Paris 1958, pp. 392-395.

<sup>4</sup> Cf. *Pontificale Romanum: Ordo benedicendi Oleum Catechumenorum et Infirmorum et conficiendi Chrisma*, Città del Vaticano 1971, pp. 11-12.

Decursu autem sæculorum in Traditione liturgica pressius definiabantur, vario quidem modo, eæ partes corporis infirmi, quæ sacro Oleo essent ungendæ, adiectis pluribus formulis ad unctiones oratione comitandas, quæ in libris ritualibus variarum Ecclesiarum continentur. In Ecclesia autem Romana medio ævo consuetudo invaluit ungenti infirmos in locis sensuum, adhibita formula: « Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti », unicuique sensui aptata.<sup>5</sup>

Præterea doctrina de Sacra Unctione exponitur in documentis Conciliorum Œcumenicorum, Florentini scilicet, Tridentini præsertim et Vaticani II.

Postquam Concilium Florentinum descripsit elementa essentialia Unctionis infirmorum,<sup>6</sup> Concilium Tridentinum divinam eiusdem institutionem declaravit et ea quæ de Sacra Unctione in Epistula Beati Iacobi traduntur enucleavit, præsertim quoad rem et effectus sacramenti: « Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis *calcaneo insidiantis* (Gn 3,15) facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur ».<sup>7</sup> Pronuntiavit insuper Sancta Synodus illis verbis Apostoli haud obscure edici « hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur, unde et sacramentum exeuntium nuncupatur ».<sup>8</sup> Denique ad proprium ministrum quod attinet, declaravit eum esse presbyterum.<sup>9</sup>

Concilium vero Vaticanum II hæc ulterius habet: « “Extrema Unctio”, quæ etiam et melius “Unctio infirmorum” vocari potest, non est Sacramentum eorum tantum qui in extremo vitæ discrimine versantur. Proinde tempus opportunum eam recipiendi iam certe habetur cum fidelis incipit esse in periculo mortis propter infirmitatem vel senium ».<sup>10</sup> Ad sollicitudinem autem totius Ecclesiæ usum huius Sacra-

<sup>5</sup> Cf. M. ANDRIEU, *Le Pontifical Romain au Moyen-Age*, t. 1, *Le Pontifical Romain du XII<sup>e</sup> siècle (Studi e testi, 86)*, Città del Vaticano 1938, pp. 267-268; t. 2, *Le Pontifical de la Curie Romaine au XIII<sup>e</sup> siècle (Studi e Testi, 87)*, Città del Vaticano 1940, pp. 491-492.

<sup>6</sup> *Decr. pro Armeniis*, G. HOFMANN, *Conc. Florent.*, I-II, p. 130; Denz.-Schön. 1324s.

<sup>7</sup> CONC. TRID., Sess. XIV, *De extr. unct.*, cap. II: CT VII, 1, 356; Denz.-Schön. 1696.

<sup>8</sup> *Ibid.*, cap. III: CT, *ibid.*; Denz.-Schön. 1698.

<sup>9</sup> *Ibid.*, cap. III, can. 4: CT, *ibid.*; Denz.-Schön. 1697, 1719.

<sup>10</sup> CONC. VAT. II, Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 73: AAS 56 (1964), pp. 118-119.

menti pertinere his verbis ostenditur: « Sacra infirmorum unctione atque oratione presbyterorum Ecclesia tota ægrotantes Domino patienti et glorificato commendat, ut eos alleviet et salvet (cf. *Iac* 5,14-16), immo eos hortatur ut sese Christi passioni et morti libere sociantes (cf. *Rom* 8,17; *Col* 1,24; *2 Tim* 2,11-12, *1 Pt* 4,13), ad bonum Populi Dei conferant ».<sup>11</sup>

Quae omnia præ oculis habenda erant in ritu Sacrae Uctionis ita recognoscendo, ut quæ essent mutationibus obnoxia, ad nostræ ætatis condiciones melius accommodarentur.<sup>12</sup>

Formulam sacramentalem ita mutare censuimus ut, verbis Iacobi relatis, effectus sacramentales satius exprimerentur.

Cum autem oleum olivarum, quod hucusque ad valorem Sacramenti conficiendi praescribatur, in nonnullis regionibus deficiat vel difficile comparetur, decrevimus, petentibus pluribus Episcopis, ut, pro opportunitate, etiam aliud oleum in posterum adhiberi possit, quod tamen e plantis sit expressum, utpote oleo ex oliva similis.

Ad numerum unctionum et ad membra ungenta quod attinet, opportunum visum est ritum simpliciolem reddere.

Quapropter, cum hæc recognitio in quibusdam rebus ipsum etiam ritum sacramentalem tangat, Auctoritate Nostra Apostolica constituimus, ut ea, quæ sequuntur, in Ritu Latino in posterum serventur:

SACRAMENTUM UNCTIONIS INFIRMORUM CONFERTUR INFIRMIS PERICULOSE ÆGROTANTIBUS, EOS LINIENDO IN FRONTE ET IN MANIBUS OLEO OLIVARUM AUT, PRO OPPORTUNITATE, ALIO OLEO E PLANTIS, RITE BENEDICTO, HÆC VERBA, UNA TANTUM VICE, PROFERENDO: « PER ISTAM SANCTAM UNCTIONEM ET SUAM PISSIMAM MISERICORDIAM ADIUVET TE DOMINUS GRATIA SPIRITUS SANCTI, UT A PECCATIS LIBERATUM TE SALVET ATQUE PROPITIUS ALLEVET ».

In casu tamen necessitatis, sufficit, ut peragatur unica unctio in fronte vel, propter peculiarem infirmi condicionem, in alia parte corporis aptiore, integra formula prolata.

Hoc Sacramentum iterari potest, si infirmus, post susceptam Uctionem, convaluerit et rursus in morbum inciderit, aut si, eadem Infirmum perdurante, discrimen gravius fiat.

<sup>11</sup> *Ibid.*, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 11: AAS 57 (1965), p. 15.

<sup>12</sup> Cf. CONC. VAT. II, Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 1: AAS 56 (1964), p. 97.

His de essentiali Sacramenti Unctionis infirmorum ritu statutis ac declaratis, *Ordinem etiam Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ*, a Sacra Congregatione pro Cultu Divino recognitum, Nos Apostolica Nostra Auctoritate approbamus, simul, si casus fert, derogando præscriptis Codicis Iuris Canonici aliisque legibus hucusque vigentibus, vel illa abrogando, ceteris vero præscriptis et legibus, quæ eodem Ordine nec abrogantur nec mutantur, validis ac firmis manentibus. Cuius Ordinis, novam formam continentis, editio Latina, statim ac prodierit, editiones vero vulgares, a Conferentiis Episcopalibus apparatus et ab Apostolica Sede confirmatae, die quæ a singulis eiusmodi Conferentiis statuatur, vigere incipient; vetus autem Ordo usque ad 31 diem mensis Decembris anni 1973 poterit adhiberi. A die tamen 1 Ianuarii 1974 novo tantum Ordine omnibus, ad quos pertinet, erit utendum.

Nostra hæc statuta et præscripta in Ritu Latino firma et efficacia esse et fore volumus, non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Decessoribus Nostris editis, ceterisque præscriptionibus etiam peculiari mentione dignis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, die xxx mensis Novembris anno MCMLXXII, Pontificatus Nostri decimo.

PAULUS PP. VI

# INTRODUCTIO GENERALIS

## I

### DE LITURGIA INFIRMORUM ET DEFUNCTORUM IUXTA TRADITIONEM DOMINICANAM

1. Consolationis et orationis fraternæ sollicitudo apud fratres infirmos vel defunctos Ordini nostro cordi semper fuit, prout elucet et in orientationibus de ritibus celebrandis et in normis seu determinationibus de cura erga infirmos<sup>1</sup> vel de suffragiis pro defunctis<sup>2</sup> habendis. Elementibus igitur propriis liturgia nostra usa est,<sup>3</sup> quorum pulchritudo atque vis sæpe sunt agnitæ.<sup>4</sup>

2. Ritus autem liturgicus Prædicatorum,<sup>5</sup> cui talia elementa pertinent, ab Ordine constitutus ac deinde a Clemente IV<sup>6</sup> auctoritate apostolica confirmatus, multa per sæcula in usu fuit, adhibitis necessariis aptationibus ad libros liturgiæ Romanæ, decursu temporis pluries instauratos.

Auctoritate denique Concilii Vaticani Secundi libris liturgiæ Romanæ profundius instauratis, Ordo noster, nova diversitate linguarum liturgicarum in Ecclesia latina et necessitatibus suæ actionis liturgico-pastoralis perpensis, impetravit a Sede Apostolica ut a nobis adhibeantur *Missale Romanum* et *Liturgia Horarum*,<sup>7</sup> servatis tamen elementis propriis nostri antiqui Ritus, in quibus – iuxta verba decreti Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino (25 iul. 1977) – « peculiaris thesaurus traditionis liturgiæ » nostri Ordinis præbetur.<sup>8</sup>

---

<sup>1</sup> Cf. LCO, nn. 9.10.11; LCM, nn. 8-12.15.

<sup>2</sup> Cf. LCO, nn. 16. 70-75; LCM, *Ord.* 1, nn. 1-4.

<sup>3</sup> Cf. ASOP 43, 1977, pp. 141-159 et 235-260; "Notitiæ" 14, 1978, pp. 378-404 et 405-417.

<sup>4</sup> Cf. ASOP 1977, p. 143.

<sup>5</sup> Cf. Proprium Ordinis Prædicatorum, IV. Rituale: *Professionis Ritus*, « Intr. gen. », n. 3: AOP 1999, p. 20.

<sup>6</sup> Bulla *Consurgit in nobis*, Magistro et Fratribus Ordinis Prædicatorum, 7 iul. 1267: BOP I, p. 486.

<sup>7</sup> SCCD, Decr. *De Missali Romano et novo Calendario* [pro universo Ordine Fratrum Prædicatorum], 2 iun. 1969: ASOP 1969, pp. 250 sq.

<sup>8</sup> Cf. ASOP 1977, pp. 196 sq.; LHOP, p. v; MLOP, pp. IX-XI.

Cum autem *Rituale Romanum* post Concilium liturgiam de infirmis atque defunctis plene renovasset, Ordo noster petivit ut una cum *Ritu Professionis*, etiam *Ordinem Unctionis Infirmorum* et *Ordinem Exsequiarum* sibi aptaret, ad novis divitiis fruendum atque ad suos ritus particulares aptandos sensibilitati religiosæ ac spirituali temporis nostri accommodatos.<sup>9</sup>

3. Proinde ut in ipso *Rituale Romano*,<sup>10</sup> pro Ritualibus particularibus commendatur, Ordo noster optavit quædam elementa propria traditionis nostræ liturgicæ servare atque renovare. Quibus selectis repertorium quoddam a speciali Commissione paratum Capitulum generale anni 1974 approbavit eiusque editionem Magistro Ordinis commisit sub forma Ritualis instaurati curandam.<sup>11</sup>

4. Repertorium autem ipsum, a Congregatione pro Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum confirmatum,<sup>12</sup> commoditatis causa unico documento de liturgia infirmorum et defunctorum agebat, acceptans tamen duarum partium distinctionem et mentem Ecclesiæ, iuxta Concilium Vaticanum II,<sup>13</sup> circa Unctionis infirmorum sensum et functionem atque eius executionem in liturgia renovata.<sup>14</sup>

Tunc vero, post peritorum considerationes et consultationes, Ordo noster ad instar librorum Ecclesiæ Latinæ duo volumina Ritualis pro universa Familia Dominicana paravit, *Ordinem* scilicet *Unctionis Infirmorum eorumque spiritualis curæ* atque *Ordinem Exsequiarum*.

5. Hæc “Introductio generalis” quattuor sectiones continet, sub numeris progredientibus distributas:

- aliquot scilicet paragraphos e Prænotandis *Ordinis Unctionis Infirmorum eorumque pastoralis curæ* excerptos;
- alios qui orientationes generales circa liturgiam infirmorum præbent atque de habitu et ratione nostrarum communitatum erga huiusmodi Sacramenta;

<sup>9</sup> ACG 1974, n. 171: *De quibusdam elementis peculiaribus ritus nostri: ‘Nota prævia’* (in ASOP 43, 1977, p. 134); *ibid.*, n. 170: *Adaptationes ad Ordinem Prædicatorum illarum partium Ritualis Romani quæ vocantur «Ordo Unctionis Infirmorum» et «Ordo Exsequiarum»*, pp. 143-155 (SCSCD, in ASOP 1977, pp. 141 sq.).

<sup>10</sup> Cf. OUI, nn. 38-39; OE, nn. 9, 21 *sub 3um*, 22 *sub 3um*.

<sup>11</sup> ACG 1974, n. 170.

<sup>12</sup> *Adaptationes ad Ordinem Prædicatorum illarum partium Ritualis Romani quæ vocantur «Ordo Unctionis Infirmorum» et «Ordo Exsequiarum»*, ASOP 1977, pp. 143-159.

<sup>13</sup> SC, n.73; cf. Paulus VI, Constitutio Apostolica *De sacramento Unctionis infirmorum* (30 nov. 1972); OUI, nn. 5-7.

<sup>14</sup> ASOP 1977, p. 143, adn. asterisco signata.



- alios insuper qui indicationes præbent de aptationibus et versionibus a commissionibus linguisticis conficiendis;
- alios denique de accommodationibus infirmum respicientibus vel adstantes.

**6.** In capite huius libri habetur Constitutio Apostolica Pauli VI *De Sacramento Unctionis infirmorum*, quia eius cognitio necessaria videtur ad mentem Ecclesiæ nostri temporis de hoc sacramento percipiendam.

Sicut in aliis aptationibus a Conferentiis Episcopalibus confectis, “notæ præviæ” unicuique capiti huius Ritualis præponuntur, nonnumquam elementa continentis etiam e *Prænotandis* editionis typicæ *Ordinis Unctionis Infirmorum* deprompta.

## II

### PRÆNOTANDA DE ‘ORDINE UNCTIONIS INFIRMORUM’<sup>15</sup>

#### DE INFIRMITATE HUMANA EIUSQUE SIGNIFICATIONE IN MYSTERIO SALUTIS

**7 [1].** Hominum dolores atque infirmitates inter maximas semper habita sunt difficultates, quæ eorum conscientiam angerent. Qui vero christianam fidem profitentur, etsi eadem sentiunt et experiuntur, fidei tamen lumine adiuvantur quo altius doloris mysterium percipiant et fortius dolores ipsos perpetuantur. Non solum enim noverunt ex verbis Christi quid pro sua et etiam pro mundi salute infirmitas significet et valeat, sed haud ignorant se infirmos ab ipso Christo diligi, qui in vita sua pluries ægrotos invisit atque sanavit.

**8 [2].** Infirmitas, etsi arcte cum hominis peccatoris condicione conexas, quasi pœna plerumque haberi non potest, quæ singulis pro peccatis propriis infligatur (cf. Io 9,3). Ipse insuper Christus, qui est sine peccato, adimplens quæ in Isaia propheta scripta sunt, quævis in Passione sua vulnera tulit et omnibus hominum doloribus communicavit (cf. Is 53,4-5); quin etiam adhuc in membris suis sibi configuratis cruciatur et angitur, quando nos dura patimur; quæ tamen momentanea et etiam levia videntur, si referantur ad æternæ gloriæ pondus, quod operatur in nobis (cf. 2 Cor 4,17).

---

<sup>15</sup> Numeri uncis inclusi indicant numeros paragraphorum *Ordinis Unctionis Infirmorum*. In textu insertæ sunt variationes ad normam novi *Codici Iuris Canonici* factæ (cf. “Notitiæ” 20, 1983, pp. 551-552), et in adnotationibus additæ sunt referentiæ ad eundem Codicem anni 1983, uncis inclusæ.

**9 [3].** Est in ipsa divinæ providentiæ dispensatione positum, ut homo contra quamvis infirmitatem strenue pugnet et bonum etiam sanitatis sollicita cura quærat, ut in humana societate et in Ecclesia officio suo fungi possit, dummodo paratus semper inveniatur ad ea implenda quæ desunt passionum Christi pro mundi salute, exspectans liberationem ipsius creaturæ in gloria filiorum Dei (cf. Col 1,24; Rom 8,19-21).

Insuper in Ecclesia infirmorum officium est testimonio suo tum ceteros monere ne rerum essentialium vel supernarum obliviscantur, tum ostendere vitam hominum mortalem per mysterium mortis et resurrectionis Christi redimendam esse.

**10 [4].** Nec infirmum tantum decet contra infirmitatem pugnare, sed medici quoque et omnes valetudinis administri, ea omnia sibi facienda vel temptanda vel experienda considerent, quæ infirmorum animis corporibusque allevandis prodesse videantur; hæc enim facientes, verbum illud Christi adimplent quo ipse infirmos visitandos mandavit, quasi diceret totum hominem visitantibus esse commissum, ut et physicis adiuventur subsidiis et spirituali confortatione reficerent.

#### DE UNCTIONE INFIRMORUM

**11 [5].** Quantam vero Dominus infirmis corporalem atque spiritualem curam ipse adhibuerit et fidelibus suis adhibendam præceperit, Evangelia satis testantur atque potissimum ostendit Unctionis sacramentum, quod ab ipso institutum et in beati Iacobi epistola denuntiatur, exinde Ecclesia pro membris suis unctione et oratione presbyterorum celebrare consuevit, ægrotautes Domino patienti et glorificato commendans ut eos allevet et salvet (cf. Iac 5,14-16), immo eos adhortans ut sese Christi passioni et morti libere sociantes (cf. Rom 8,17)<sup>16</sup> ad bonum populi Dei conferant.<sup>17</sup>

Homo enim, periculose ægrotans, peculiari Dei gratia indiget, ne, anxietate premente, animi demissione percellatur et, tentationibus subiectus, in sua ipse fide forsitan deficiat.

Quare Christus fideles suos infirmitate laborantes Unctionis sacramento munit, tamquam firmissimo quodam præsidio.

Quæ celebratio sacramenti in eo præsertim consistit, ut manuum impositione ab Ecclesiæ presbyteris præhabita, fidei oratio proferatur et oleo, Dei

<sup>16</sup> [1] Cf. etiam Col. 1,24; 2 Tim 2,11-12; 1 Pt 4,13.

<sup>17</sup> [2] Cf. CONC. TRID., Sess. XIV, *De extrema unctione*, cap. I: Denz.-Schön. 1695; CONC. VAT. II., Const. *Lumen gentium*, 11: AAS 57 (1963), p. 15.

benedictione sanctificato, liniantur infirmi: quo ritu significatur atque confertur gratia sacramenti.<sup>18</sup>

**12 [6].** Hoc sacramentum præstat infirmo gratiam Spiritus Sancti, qua totus homo ad salutem adiuvatur, Dei fiducia sublevatur et adversus tentationes maligni anxietatemque mortis roboratur, adeo ut mala non solum fortiter tolerare sed etiam impugnare possit, et sanitatem, si saluti eius spirituali expedierit, consequatur; præbet etiam, si necesse est, veniam peccatorum et consummationem Pænitentiae christianæ.<sup>19</sup>

**13 [7].** In sacra Unctione, quæ cum oratione fidei conectitur (cf. Iac 5,15), fides exprimitur, quæ imprimis est excitanda, tum in eo qui administrat tum præsertim in eo qui suscipit sacramentum; infirmum enim salvabit fides eius et Ecclesiae, quæ Christi mortem et resurrectionem respicit unde suam efficacitatem sacramentum haurit (cf. Iac 5,15),<sup>20</sup> et futurum prospicit regnum, cuius pignus in sacramentis præbetur.

#### DE IIS QUIBUS UNCTIO INFIRMORUM CONFERENDA SIT

**14 [8].** In epistola Iacobi declaratur Unctionem esse adhibendam infirmis, ut eos allevet et salvet.<sup>21</sup> Omni ergo studio ac diligentia hæc sacra Unctio conferenda est fidelibus qui propter infirmitatem vel senium periculose ægrotant.<sup>22</sup>

Ad gravitatem vero ægrotationis diiudicandam quod attinet, satis est ut prudens seu probabile de ea iudicium habeatur,<sup>23</sup> quibusvis remotis anxietatibus et collatis consiliis, si casus ferat, cum medico.

**15 [9].** Hoc sacramentum iterari potest si infirmum post susceptam Unctionem convaluerit, vel si, eadem infirmitate perdurante, discrimen gravius reddatur.

**16 [10].** Ante sectionem chirurgicam (vulgo “operazione”) sacra Unctio infirmo tribui potest quoties morbus periculosus causa est ipsius sectionis.

<sup>18</sup> [3] Cf. CONC. TRID., Sess. XIV, *De extrema unctione*, cap. I: Denz.-Schön. 1694.

<sup>19</sup> [4] Cf. *ibid.*, proem. et cap. II: Denz.-Schön. 1694 et 1696.

<sup>20</sup> [5] Cf. S. THOMAS, *In IV Sentent.*, d. 1, q. 1, a. 4, qc. 3.

<sup>21</sup> [6] Cf. CONC. TRID., Sess. XIV, *De extrema unctione*, cap. II: Denz.-Schön. 1698.

<sup>22</sup> [7] Cf. CONC. VAT. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, 73: AAS 56 (1964), pp. 118-119.

<sup>23</sup> [8] Cf. PIUS XI, Litt. *Explorata res*, 2 febr. 1923.

**17 [11].** Senibus quorum vires multum debilitantur, etiam non perspecto morbo periculoso, sacra Unctio conferri potest.

**18 [12].** Pueris etiam sacra Unctio eo iam tempore ministretur, cum talem habent usum rationis, ut hoc sacramento confortari possint. In dubio utrum rationis usum attigerint sacramentum conferatur.

**19 [13].** In catechesi tum communi tum familiari tradenda fideles ita instituantur ut ipsi Unctionem expetant et statim ac tempus opportunum illam recipiendi datum fuerit, plena fide animique devotione suscipiant, neve pravo usui sacramenti procrastinandi indulgeant. Omnes vero qui infirmis assistunt de huius sacramenti natura edoceantur.

**20 [14].** Infirmis, qui licet sensus vel usum rationis amiserint, sacramentum Unctionem, dum suæ mentis compotes essent, ut credentes implicite saltem petierint, sacramentum conferatur.<sup>24</sup>

**21 [15].** Sacerdos vocatus ad infirmum qui iam mortuus est, Deum pro illo deprecetur, ut a peccatis absolvat et in regnum suum clementer admittat; Unctionem vero sacerdos ne administret. Si vero dubitat num infirmus vere mortuus sit, hoc sacramentum ei ministret 'sub condicione' (cf. OUI, n. 135).<sup>25</sup>

Unctio infirmorum ne conferatur illis qui in manifesto gravi peccato obstinate perseverent.<sup>26</sup>

#### DE MINISTRO UNCTIONIS INFIRMORUM

**22 [16].** Minister proprius Unctionis infirmorum est solus sacerdos.<sup>27</sup>

Episcopi, parochi et vicarii parœciales, cappellani valetudinariorum et superiores communitatum religiosarum clericalium, huius ministerii munus ordinarie exercent.<sup>28</sup>

**23 [17].** Horum est tum infirmos et circumstantes ad sacramentum apta præparatione disponere, auxiliantibus religiosis et laicis, tum etiam infirmis sacramentum conferre.

<sup>24</sup> [9] Cf. CIC, c. 943 [= CIC 1983, c. 1006].

<sup>25</sup> [10] Cf. CIC, c. 941 [= CIC 1983, c. 1005].

<sup>26</sup> Cf. CIC 1983, c. 1007.

<sup>27</sup> [11] Cf. CONC. TRID., Sess. XIV, *De extrema unctione*, cap. III et c. 4: Denz.-Schön. 1697 et 1719; CIC, c. 938 [= CIC 1983, c. 1003, § 1].

<sup>28</sup> [12] Cf. CIC, c. 938 [= CIC 1983, c. 1003, § 2].

Ad Episcopum diœcesanum pertinet moderatio illarum celebrationum in quibus forte plures infirmi simul diversarum parœciarum vel valetudinariorum ad accipiendam sacram Unctionem adunantur.

**24 [18].** Ex rationabili causa alius sacerdos hoc sacramentum ministrare potest de consensu saltem praesumpto ministri de quo supra n. 16, quem de Unctione facta certiore reddant.<sup>29</sup>

**25 [19].** Quando duo vel plures presbyteri adsunt prope unum infirmum, nihil impedit quominus unus ex illis orationes dicat et Unctionem peragat cum sua formula, ceteri vero singulas alias partes ritus, veluti ritus initiales, lectionem verbi Dei, invocationes aut monitiones, inter se distribuunt. Singuli insuper possunt manus imponere.

### III

#### DE LITURGIA INFIRMORUM IN VITA DOMINICANA

##### A) ORIENTATIONES GENERALES

**26.** Communitates nostræ magnam habeant sollicitudinem erga fratres vel sorores qui mysterio infirmitatis et morbi laborent, vel etiam erga infirmos quibus in ministerio occurramus.

Graves angustiae quas infirmus patitur, magnam postulant humanitatem et caritatem, ut ipse adiuvetur ad sensum huius casus seu status in fide intelligendum atque in spe assumendum: novæ enim vocationi Dei respondens,<sup>30</sup> infirmus Paschæ Christi se libere sociat idemque ad bonum populi Dei confert.<sup>31</sup> Cum enim contemplatio veritatis mitiget tristitiam vel dolorem,<sup>32</sup> per orationem ab adstantibus adiutam infirmus ad bona cælestia respicit atque ad Deum videndum paratur, suam nempe vocationem perficiens.

Sollicitudo autem nostra, quæ per fraternum auxilium et orationem communitarie peractam manifestatur, conspicuum testimonium præbet in mundo in quo vivimus de mutua necessitudine quam per Evangelium consequimur, de fide nostra in Deum et de resurrectionis Filii eius virtute.<sup>33</sup>

<sup>29</sup> Cf. "Notitiae" 20, 1983, p. 552.

<sup>30</sup> Cf. SD, n. 26.

<sup>31</sup> Cf. LG, n. 11 (= CCE, nn. 1499 et 1522).

<sup>32</sup> S. Th. I-II, 38, 4 c.

<sup>33</sup> ASOP 1977, *Adaptationes ad Ordinem Prædicatorum...*, n. 5, p. 144.

**27.** Ad legem Christi adimplendam, religiosi sicut et ceteris christifidelibus præstat alter alterius onera portare (Gal 6,2). Technicæ igitur artis molimina ad sublevandas varias necessitates humanas etiam sodales Familiæ Dominicanæ attente æstimant, atque una cum aliis communitatibus christianis sese interrogant circa suam sollicitudinem atque servitium erga infirmos.<sup>34</sup>

**28.** Nostræ ætatis adiuncta in quibus fratres et sorores communitatum nostrarum versantur ipsæque rationes celebrandi actiones liturgicas pro infirmis, valde mutata sunt et variant secundum condiciones locorum et personarum. Attendenda igitur erit hæc diversitas in istis celebrationibus aptandis: utrum scilicet in ipsa communitate an in religioso hospicio an in nosocomio an apud familiares infirmus degat. Munus enim eorum qui apud eum vivunt vel eum curant, magni momenti est etiam ad eius iter spirituale fovendum. Respicendi sunt etiam qui, iuxta infirmum versantes, fortasse christianam fidem vel religiosos sensus et iudicia non participant.

Omnia igitur perpendenda sunt hæc elementa variationis atque omnes possibilitates a Rituali Romano admissas oportet cognoscere earumque adaptationes regionales necnon ea quæ a Rituali Ordinis præbentur.<sup>35</sup>

**29.** In præparandis et ordinandis celebrationibus, Prior vel Priorissa necnon et delegatus vel delegata pro liturgia communitatis, præ oculis habeant adiuncta omnia – præsertim cum in nosocomio seu extra domum religiosam infirmus degit – et libenter variis facultatibus in Rituali Ordinis propositis utantur.<sup>36</sup>

**30.** Quæ in hoc Rituali dicuntur de communitate fratrum et de Priore conventuali, mutatis mutandis etiam de communitate monialium vel sororum necnon de earum Priorissa intelligatur, salvis illis quæ ad ministros ordinatos pertinent.

In communitatibus autem monialium vel sororum, absente sacerdote vel diacono, Priorissa vel alia soror ad hoc deputata illis officiis fungitur quæ iuxta Rituale possunt a laicis adimpleri.<sup>37</sup>

<sup>34</sup> Cf. ACG 1992, pp. 231-233; cf. OUI, n. 32.

<sup>35</sup> ASOP 1977, p. 144, n. 6.

<sup>36</sup> Cf. ACG 1974, n. 170: *Adaptationes ad Ordinem Prædicatorum illarum partium Ritualis Romani quæ vocantur «Ordo Unctionis Infirmorum» et «Ordo Exsequiarum»*, n. 7, ASOP 1977, pp. 144 sq. Cf. OUI, nn. 40-41; OE, n. 23.

<sup>37</sup> Cf. ACG 1974, n. 170: *Adaptationes...*, n. 4, ASOP 1977, p. 144.

**31.** Perdurante formatione initiali<sup>38</sup> et permanenti, Familiæ Dominicanæ sodales per aptam instructionem edoceantur de spiritualibus divitiis liturgiæ instauratæ necnon et de mente atque consiliis quæ ipsam respiciunt.<sup>39</sup>

Iidem sodales qui sint ministri ordinati vel rite instituti, necnon et ii quibus cura pastoralis infirmorum sit commissa, ordinem Ritualis nostri diligenter cognoscant, ut ipso frui possint, cum opportunum videatur.

## B) PRÆSENTIA FRATERNA ATQUE SACRAMENTORUM ADMINISTRATIO

**32.** Dum morbo laborat atque vexatur, infirmus multiplicibus modis adiuvatur ab adstantibus, sive familiaribus sive religioso conventu, sive ab iis qui ei medicas curas præbent sive a communitate christiana. Oportet igitur ut et ipse infirmus et ii qui pastoralis liturgicæ munere funguntur iter noscant sacramentale atque fraternam sollicitudinem quæ Ecclesia proponit ad fratrem vel sororem confortandos qui morbo conficiatur.

**33.** Inter ea quæ ad solacium præstandum vel ad infirmum roborandum pertinent, Sacramenta eminent veluti signa peculiaria quæ testantur et dilectionem actionemque Dei erga ipsum et fraternam præsentiam Ecclesiæ. Per humanitatis autem sensus quibus huiusmodi celebrationes sunt circumfundendæ, compassionem ipsi vivimus sancti Dominici aliorumque Sanctorum et Sanctarum Ordinis nostri. Singula quidem momenta hæc sunt:

**a)** *Visitatio infirmorum* (caput I), siquidem hominis ad hominem occursatio, locus est dialogi et socialis consortii atque evangelizationis in tempore infirmitatis, ubi Deus novo modo invenitur.

**b)** *Communio infirmorum* (caput II) et verbo Dei confortat et Pane vitæ corroborat fidelem qui, morbo laborans, Eucharistico convivio cum fratribus adesse nequit.

**c)** *Sacramentum Unctionis* (caput III) adlevat christifidelem qui vitam morbo vel infirmitate confectam velit in fide suscipere; proinde perficit conformationem nostram ad mortem et resurrectionem Christi, per Baptismum inchoatam<sup>40</sup> atque per professionem religiosam plenius expressam.<sup>41</sup> Nostris quidem communitatibus mutuæ misericordiæ petitio fieri potest locus vitæ fraternæ ardentem experiendæ.

<sup>38</sup> Cf. *Ratio studiorum generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum*, Romæ 1993, nn. 17-18.

<sup>39</sup> Cf. ASOP 1977, p. 145, n. 7.

<sup>40</sup> Cf. CCE, n. 1523; COS, n. 134.

<sup>41</sup> Cf. Decr. *Perfectæ Caritatis*, n. 5; Proprium Ordinis Prædicatorum, IV. Rituale: *Professionis Ritus*, « Inr. gen. », n. 1.

d) *Viaticum* (caput IV), utpote communio cum Corpore et Sanguine Christi tamquam alimentum pro itinere datum<sup>42</sup> christifideli a fratribus circumdato, professionem fidei exprimit atque pignus resurrectionis, pro ipso infirmo<sup>43</sup> et pro tota communitate.<sup>44</sup>

e) *Sacramenta in periculo mortis præbita* (caput V), quamvis ordinarie per varia momenta distribuuntur (Pænitentia scilicet et Unctio et Viaticum), in hoc capitulo ritu continuo ministrantur, multiformes divitias mysterii Paschalis testante.

f) *Commendatio morientium* (caput VI) fit cum pro adiunctis communitas animos atque orationem ad Deum vertit ut misereatur fratris vel sororis in hora mortis versantis eiusque in Christo fiducia non deficiat. In hac igitur oratione renovatur omnium caritas erga fratrem vel sororem ac simul communio cum universa Ecclesia roboratur. Præstat vero ut opportuna cum sobrietate hæc perficiantur præsertim cum infirmus extra propriam communitatem degit.<sup>45</sup>

g) Per *Officium post obitum* (caput VII) incipiunt suffragia nostris communitatibus præscripta: quæ autem in celebratione Eucharistica culmen invenient atque ultimæ valedictionis ritu perficientur.

## IV

### DE VERSIONIBUS ET APTATIONIBUS HUIUS RITUALIS

**34.** Indicationes quæ supra dantur (cf. Litteræ promulgationis, n. 9), iuxta mentem liturgiæ instauratæ proponuntur pro nostro usu et aptatione *Ordinis Unctionis Infirmorum* necnon et elementorum particularium quæ ad nostram traditionem pertinent.

**35.** Hoc Rituale a Familia Dominicana adhibebitur iis peculiaritatibus perspectis quæ ad unumquemque cœtum pertinent (Fratres scilicet, Moniales, Sorores, Fraternitates laicales), necnon et quæ accommodentur circumstantiis regionis vel loci atque pastorali muneri nostrarum communitatum.

<sup>42</sup> CCE, n. 1020; COS, n. 134.

<sup>43</sup> Io 6, 54; 13, 1; Col 1, 18.

<sup>44</sup> Cf. ASOP 1977, p. 146, n. 11.

<sup>45</sup> ASOP 1977, p. 146, n. 12.



**36.** Pro unaquaque regione linguistica Commissio liturgica Ordinis eiusdem loci versionem paret huius *Ritualis infirmorum*, editioni typicæ latinæ conformem et secundum Sedis Apostolicæ normas Ordinisque indicationes<sup>46</sup> pro versionibus et aptationibus confectam.

**37.** Commissiones liturgicæ regionales considerent, si casus fert, aptationes vel interpretationes huius *Ritualis* quæ convenient necessitatibus singularem regionum ubi communitates Dominicanæ existunt. Aptatione locali *Ritualis* Romani perspecta, ea quæ proponi possunt ad sequentia pertinent:

a) mores et consuetudines quibusdam Provinciis Ordinis propria considerentur ac de eorum congruitate iudicetur, ad ea respicienda in aptatione huius *Ritualis*;<sup>47</sup>

b) redactio rubricarum renovata seu complementaris rite conficiatur, quo ipsæ melius respondeant concretis adiunctis diversarum communitatum nostrarum in ea regione versantium, respectis ritibus præcipuis atque structura conventuali liturgiæ nostræ;<sup>48</sup>

c) versio monitionum et precum apte respondeat ingenio diversarum linguarum, additis, quoties opportunum fuerit, melodiis cantui aptis;<sup>49</sup>

d) rubricæ aptentur vel, si casus ferat, integrentur, sicubi munus et officia indicari oporteat quibus ministri instituti aut sorores aut laici fungantur.

Si quæ vero rubricas vel textus adicere opportunum videatur, congruo signo vel caractere typographico distinguantur a rubricis et textibus *Ritualis* Romani.

## V

### DE ACCOMMODATIONIBUS INFIRMUM VEL ADSTANTES RESPICIENTIBUS

**38.** Ut supra memoratur (cf. n. 27), Prior vel Priorissa necnon et delegatus vel delegata pro liturgia communitatis, præ oculis habeant tam adiuncta et necessitates, quam desideria infirmi et sensus adstantium, atque libenter variis facultatibus in *Rituale* propositis utantur.

<sup>46</sup> Cf. 'Consilium', "Notitiæ" 5, 1969, pp. 3-12; SCCD, AAS 66, 1974, pp. 98-99; ASOP 1979, pp. 13-30; LHOP, p. xxvi; MLOP, « Introductio generalis », p. xxxviii.

<sup>47</sup> OUI, n. 38 b).

<sup>48</sup> Cf. LHOP, p. LXXV, n. 2; p. LXXVIII, n. 8.

<sup>49</sup> OUI, n. 38 d).

Imprimis attendatur defatigationi infirmi et variationibus in statu eius physico intra diem vel etiam horam. Propterea, si casus ferat, celebrationem abbreviare poterit.<sup>50</sup>

**39.** Sub responsabilitate pastorali ministri aut fratris vel sororis ad hoc officium deputati vel deputatæ, communitates, si opportunum videtur, curent ut præsto sint schemata pro differentibus typis celebrationum.<sup>51</sup> Structura enim essentiali uniuscuiusque Sacramenti vel orationis servata, indicationes quæ sequuntur præbent textus tempore opportuno seligendos pro variis locorum et personarum adiunctis, iuxta indolem statumque infirmi atque sensus adstantium.

**40.** Sicubi structura ritus adiunctis loci et personarum accommodetur, aptationes fiant præsertim, in Unctione infirmorum vel Viatico, circa ritum 'mutuæ misericordiæ petitionis' initio celebrationis aut post lectionem Sacræ Scripturæ collocandum; item in Sacramento Unctionis brevis explanatio de significatione Olei fieri potest, si opportunius videtur, loco gratiarum actionis super ipsum; proinde in Commendatione morientium seligantur textus biblici (App. I, p. 127) et preces quæ in Appendice (III, pp. 135-141) inveniuntur vel aliæ preces consuetæ.<sup>52</sup>

**41.** In celebratione huius ritus attendatur ad adstantes, præsertim cum infirmus in nosocomio degit atque ceteri infirmi in eodem cubiculo degentes huic actioni liturgicæ nullo modo intersunt. Quibus in adiunctis præstat ut sollicitudo adhibeatur de adstantibus, ad novam mentem atque sensibilitatem promovendam erga Sacramenta fidei et quo ipsa receptio fructuosior evadat.<sup>53</sup>

**42.** Sicubi communitas, ut sæpe contigit, tota nequit celebrationi adesse circa infirmum, propter exiguitatem loci vel quia infirmus extra conventum degit, variis in locis huius Ritualis (nn. 155, 187) diversi modi celebrationum suggeruntur; quibus communitas infirmo societur eumque fraterna caritate et oratione comitetur, ut ex his precibus et consolationem et sensum paschalem christianæ vitæ haurire valeat.

---

<sup>50</sup> Cf. OUI, nn. 37, 40 et 41.

<sup>51</sup> Cf. LHOP, p. 14, n. 21.

<sup>52</sup> Cf. OUI, n. 41.

<sup>53</sup> Cf. ARH, nn. 90 et 92.

ORDO UNCTIONIS INFIRMORUM  
EORUMQUE SPIRITUALIS CURÆ



## CAPUT I IN VISITATIONE INFIRMORUM

### NOTA PRÆVIA

1. Præter ea quæ ad visitandos fratres vel sorores infirmos pertinent, libris liturgicis Ordinis quædam sectiones inerant pastorali quoque sollicitudini consentaneæ, de aliis infirmis visitandis.

Hoc igitur caput Ritualis nostri, a Communionem infirmorum nempe distinctum, duo præbet schemata, e consuetudinibus nostris deprompta riteque instaurata, id est preces quibus uti præstat cum infirmis humana simul ac spirituali sollicitudine occurrimus, atque formularium de benedictione infirmorum, quod in quibusdam Ordinis Provinciis adhibetur.

2. Cum infirmos visitant, sacri ministri vel laici – prout infra (n. 4) indicatur – ea quæ in *Ordine Unctionis Infirmorum* (nn. 42-45) præcipiuntur diligenter observent. In primis autem sollicitudinem caritatemque Christi atque Ecclesiæ infirmis demonstrent.

3. Sacerdos igitur necnon et christifideles ægrotum in eo spirituali itinere confirmet, quod ipsum – ut etiam ceteros fideles – per varios gradus conducat:

- sensum videlicet suæ quisque novæ conditionis perspiciat et ea quæ ad fidem pertinent sapiat interius;
- excitetur autem ut una cum Christo ambulet in fide per viam nunc morbo perturbatam ac doloris mysterio locupletatam;
- adiuvetur etiam ad orandum sive privatim sive cum familiaribus vel iis qui eum curant;
- gradatim præparetur, temporibus ei opportunis, ut ad sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ accedat, necnon et Unctione infirmorum et Viatico – cum res postulabit – fruatur.

4. Modus procedendi, qui hic sequitur, pro visitatione infirmorum, sive a sacerdote sive a diacono sive – si casus fert – ab alio Familiæ Dominicanæ sodali adhiberi potest, structura atque elementis convenienter selectis et aptatis.

## I. ORATIONES IN VISITATIONE INFIRMORUM

## SALUTATIO

5. *Accedens ad infirmum, qui eum visitat salutatur simpliciter et humaniter eum ceterosque adstantes.*

*Qui quidem si sacerdos vel diaconus est, dicere potest:*

Pax huic dómui  
et ómnibus habitántibus in ea.<sup>1</sup>

*Vel:*

Pax et benedíctio Dei Patris omnipoténtis,  
et ✠ et Spíritus Sancti,  
descéndat super nos et super domum istam  
et super omnes habitántes et conveniéntes in ea.<sup>2</sup>

*R.* Amen.

6. *Si autem minister est laicus, dicit:*

Benedicámus Dómino  
qui dolóres nostros ipse tulit  
et nos per crucem suam salvat.

*R.* Benedíctus Deus, nunc et in sácula.

*Vel:*

*R.* Benedíctus es, Dómine.

7. *Tunc minister infirmum et adstantes hortatur ut misericordiam Domini confiteantur et fiducialiter implorent:*

*Psalmus 27,1; 28,1-2.6-9*

*Ant.* Illuminátio mea et salus mea, Dóminus.

Ad te, Dómine, clamábo; \*

Deus meus, ne síleas a me.

Nequándo táceas a me, \*

et assimilábor descendéntibus in lacum. *Ant.*

Exáudi vocem deprecatiόνis meæ, dum clamo ad te, \*

dum extólló manus meas ad templum sanctum tuum. *Ant.*

<sup>1</sup> OUI, n. 49.

<sup>2</sup> *Manuale Ambrosianum*, ed. M. Magistretti, vol. II, 1905, p. 94.

Benédictus Dóminus, †  
 quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ; \*  
 Dóminus adiútor meus et protéctor meus,  
 in ipso sperávit cor meum, et adiútus sum, †  
 et exultávit cor meum, \*  
 et in cántico meo confitébor ei. **Ant.**

Dóminus fortitúdo plebi suæ, \*  
 et refúgium salvatiónum christi sui est.  
 Salvum fac pópulum tuum, et bénedic hereditáti tuæ, \*  
 et pasce eos et extólle illos usque in ætérnum. **Ant.**

**Postea minister dicit orationem super psalmum:**

Dómine Deus,  
 qui unicuítque tríbuis iuxta ópera sua,  
 tu vocem Christi tui exaudísti  
 eiúsque carnem in die resurrectiόνis refluere tribuísti:  
 preces nostras cleménter exáudi  
 et Ecclésiæ tuæ tribue  
 ut in rectitúdine vitæ ámbulet pacífice  
 et in gratiárum actiόνem pro ópere mánuum tuárum  
 cum gáudio persevéret.<sup>3</sup>

**Vel alius psalmus aptus dicitur (ex. gr. 29, 40, 87, 142), cum antiphona:**

**Ant.** Vere languóres nostros ipse tulit et dolóres nostros ipse portávit  
 (Is 53,4).

**Postea minister dicit orationem sequentem vel orationem super psalmum ut in Appendice (II A, pp. 130 sqq.):**

Deus, qui factúrá tuæ semper pio domináris afféctu,  
 inclína aurem tuam supplicatióibus nostris  
 et fámulum tuum (fámulam tuam) **N.**  
 ex advérsa valetúidine córporis laborántem  
 benígnus réspice et vísitá in salutári tuo  
 et cæléstis grátia præsta ei medicínam.  
 Per Christum Dóminum nostrum.<sup>4</sup>

**R.** Amen.

<sup>3</sup> Psautier de la Bible de Jérusalem, Paris, Éd. du Cerf, 1965.

<sup>4</sup> *Eccl. Off.*, f. 56r; PS, p. 166; cf. ASOP 1977, p. 156.

## LECTIO VERBI DEI

**8.** Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum, ex iis potissimum selectum qui in *Ordine Unctionis infirmorum*<sup>5</sup> vel in *Lectionario Ritualis Romani*<sup>6</sup> vel hic infra proponuntur. Textus autem seligantur qui infirmorum condiciones, tam animi quam corporis, melius respicere videantur.<sup>7</sup>

**Mt 11,28-30:** « *Venite ad me et ego reficiam vos* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Matthæum...

Vel:

**Mc 6,53-56:** « *In plateis ponebant infirmos* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Marcum...

Vel:

**2 Cor 1,3-7** « *Deus totius consolationis* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Corínthios...

Vel:

**Hebr 5,7-9:** « *Filius Dei didicit ex iis quæ passus est obædientiam* ».

Audíte, fratres, verba epístulæ ad Hebræos...

**9.** Cantari vel dici potest et psalmus vel alius cantus aptus:

**Ps 19:** « *Exaudiat te Dominus in die tribulationis* ».

Vel:

**Ps 101 (passim):** « *Domine, exaudi orationem meam* ».

**10.** Brevis explanatio textuum fieri potest vel silentii pausa.<sup>8</sup>

## ORATIO COMMUNIS

**11.** Deinde intercessionem haberi possunt, formularium eligendo hic infra positum vel unum ex iis quæ in *Benedictionali* (nn. 303-305) proponuntur. Aliæ autem intercessionem adhiberi possunt, iuxta infirmi vel temporis adiuncta.

<sup>5</sup> OUI, nn. 153-229 et 247-258.

<sup>6</sup> LR, pp. 740-748.

<sup>7</sup> DB, pp. 298-301.

<sup>8</sup> Cf. OUI, n. 45.



Orémus Dóminum nostrum Iesum Christum, fratres,  
et cum omni supplicatióne rogémus,  
ut hunc fámulum suum (hanc fámulam suam) **N.**  
visitáre, lætificáre et confortáre dignétur.

Propitiétur Dóminus cunctis iniquitatibus tuis  
et sanet omnes languóres tuos.

**R.** Kýrie, eléison.

Rédimat Dóminus de intéritu vitam tuam  
et sátiet in bonis desidérium tuum.

**R.** Christe, eléison.

Tibi Dóminus tríbuat córporis fortitúdinem, stabilitátem ánimi,  
tolerántiam dolórum, valetúdinis integritátem,  
ut fratrum cœtui restitútus (restitúta)  
te gaudens benedícat.<sup>9</sup>

**R.** Kýrie, eléison.

*Si vero infirmo placuerit, dici vel cantari potest ant. Media vita.*

#### BENEDICTIONIS ORATIO

**12.** *Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, manus imponens super infirmum vel omnes infirmos simul vel, pro opportunitate, super singulos, benedictionis orationem profert:*

Virtútum cæléstium Deus,  
qui ab humánis corpóribus omnem languórem  
et omnem infirmitátem præcépti tui potestáte depéllis:  
adésto propítius huic fámulo tuo (fámulæ tuæ)  
ut, fugátis infirmitátibus et víribus recéptis,  
nomen sanctum tuum,  
instauráta prótinus sanitáte, benedícat.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>10</sup>

**R.** Amen.

<sup>9</sup> Cf. *Liber Ordinum*, éd. M. Férotin, XXV: *Ordo ad invitandum vel perungendum infirmum*, Paris 1904, reimpr. Roma 1996, c 71-73; DB, n. 307.

<sup>10</sup> BB, p. 49\*.

Vel, sine impositione manuum:

Omnípotens sempitérne Deus,  
miserére fámulo tuo (fámulæ tuæ) **N.**  
et dírige eum (eam) secúndum tuam cleméntiam  
in viam salútis et pacis:  
ut te donánte tibi plácita cúpiat  
et tota virtúte perfíciat.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>11</sup>

**R.** Amen.

**13.** Si autem minister est laicus, signo crucis singulos in fronte signans, benedictionis orationem profert:

In dilectióne tua salva nos, Dómine, Deus noster,  
qui factúram tuam múltiplici semper pietáte custódis,  
et hunc fámulum tuum infírmum (hanc fámulam tuam infírmam)  
déxtera tua érige, divína virtúte confírma;  
medélam ádhibe, sana languóres,  
ut quod a te solácium expéctat  
felíciter consequátur.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>12</sup>

**R.** Amen.

Vel:

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,  
qui condicióne nostræ fragilitátem  
tua benedictióne érigis atque confírmas,  
super hunc fámulum tuum (hanc fámulam tuam) **N.**  
propitiátus inténde,  
ut infirmitáte tuo beneplácito detrúsa  
et valetúdine reparáta,  
nomen sanctum tuum memor grátusque (gratáque) benedícat.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>13</sup>

**R.** Amen.

<sup>11</sup> *Man. Ambr.*, ed. 1905, p. 150.

<sup>12</sup> DB, n. 308.

<sup>13</sup> Cf. DB, n. 309.

**14.** Post orationem benedictionis, minister omnes adstantes invitat ad B. V. Mariæ protectionem invocandam, quod opportune fit recitatione vel cantu antiphonæ marialis, ex. gr. Sub tuum præsidium vel Salve Regína vel alius textus.

#### CONCLUSIO

**15.** Tunc minister, si est sacerdos vel diaconus, ad infirmum conversus ritum concludere potest dicens:

Dóminus Iesus Christus apud te (vos) sit  
ut te (vos) deféndat;  
intra te (vos) sit, ut te (vos) consérvet;  
ante te (vos) sit, ut te (vos) dedúcat;  
post te (vos) sit, ut te (vos) benedícat:  
Qui cum Patre et Spíritu Sancto in unitáte perfécta  
vivit et regnat in sæcula sæculórum.

R. Amen.<sup>14</sup>

Denique omnes adstantes benedicit, addens:

Et benedíctio Dei omnipoténtis,  
Patris et Filii ✠ et Spíritus Sancti,  
descéndat super vos, et máneat semper.

R. Amen.

**16.** Si vero minister est laicus, super infirmum vel infirmos et omnes adstantes benedictionem Domini implorat, ac seipsum signans dicit:

Dóminus Iesus,  
qui pertránsiit benefaciéndo et sanándo omnes infirmos,  
in bona valetúdiene nos custodíre  
et sua nos benedictióne cumuláre dignétur.

R. Amen.<sup>15</sup>

<sup>14</sup> LHOP, p. 756; cf. OUI, n. 237; cf. PRG II, p. 254.

<sup>15</sup> DB, n. 312.

## FORMULA BREVIS

**17.** Si adiuncta exspostulant, post aliquot verba salutationis vel spiritualis exhortationis necnon et brevem Verbi Dei lectionem, sacerdos vel diaconus simpliciter hanc formulam benedictionis adhibere potest:

Dóminus Iesus Christus apud te (vos) sit  
 ut te (vos) deféndat;  
 intra te (vos) sit, ut te (vos) consérvet;  
 ante te (vos) sit, ut te (vos) dedúcat;  
 post te (vos) sit, ut te (vos) benedícat:  
 qui cum Patre et Spírítu Sancto in unitáte perfécta  
 vivit et regnat in sǎcula sǎculórum.<sup>16</sup>

R. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,  
 Patris et Fílii ✠ et Spírítus Sancti,  
 descéndat super te (vos), et máneat semper.

R. Amen.

**18.** Si vero minister est laicus, super infirmum vel infirmos et omnes adstantes benedictionem Domini implorat, ac seipsum signans dicit:

Dóminus Iesus,  
 qui pertránsiit benefaciéndo et sanándo omnes infirmos,  
 in bona valetúdine nos custodíre  
 et sua nos benedictióne cumuláre dignétur.

R. Amen.<sup>17</sup>

## II. BENEDICTIO INFIRMORUM PRO OPPORTUNITATE ADHIBENDA

**19.** Qui infirmos visitat, eos benigne excipiens, prius verbis fidei et humanitatis sensibus corda eorum apostolica sublevet caritate eosque de valore huius invocationis edoceat, animum eorum ad fiduciam in Deum excitet atque ad divinam eius voluntatem amplectendam disponat.

Si autem opportunum videtur, ad Unctionem infirmorum suscipiendam hortetur.

<sup>16</sup> LHOP, p. 756; cf. OUI, n. 237; cf. PRG II, p. 254.

<sup>17</sup> DB, n. 312.

**20.** Post autem verba salutationis et exhortationis, manibus extensis si est sacerdos, aut, si est laicus, manum imponens super caput infirmi, ubi est consuetudo, sequentem dicat orationem sancto Vincentio Ferrer tributam, qua sanctus Ludovicus Bertrán utebatur:

« Super ægros manus impónent  
et bene habébunt » (Mc 16,18).  
Iesus Mariæ Fílius, mundi salus et Dóminus,  
qui te traxit ad fidem cathólicam,  
te in ea consérvet, et beátum (beátam) fáciat,  
et méritis beátæ Vírginis Mariæ  
et beáti Domínici Patris nostri  
et beáti Vincéntii Ferrer et ómnium sanctórum,  
te ab hac infirmitáte liberáre dignétur.<sup>18</sup>

**21.** Deinde minister addit:

Adapériat Dóminus corda nostra  
illáque recte dispónat  
per audítum Verbi eius.

Tunc ab uno ex adstantibus vel ab ipso ministro legitur textus Evangelii secundum Ioannem (Io 1,1-14) vel secundum Marcum (Mc 16,15-20). Vel alius legatur textus aptus (ex. gr. Is 61,1-3a; Rom 8,14-17; Mt 5,1-12a; Mt 11,25-30; Lc 12,35-44a), prout in *Ordine Unctionis infirmorum*<sup>19</sup> proponitur.

Huius autem lectionis, pro opportunitate, brevis explicatio fieri potest.

✠ Inítium sancti Evangéllii secúndum...

R. Glória tibi, Dómine.

**22.** Deinde minister orationem dominicam introducit his vel similibus verbis:

Deum Patrem omnipoténtem  
nunc fidéliter invocémus,  
qui ab humánis corpóribus  
omnem languórem et omnem infirmitátem  
præcépti sui potestáte depéllit,  
eiusque bonitátem exaltémus verbis ipsíus Christi:

et omnes simul pergunt:

Pater noster, etc.

<sup>18</sup> LHOP, p. 755.

<sup>19</sup> OUI, nn. 153 sqq.

**23. Ritus benedictione concluditur. Si minister est sacerdos, dicit:**

Dóminus Iesus Christus apud te (vos) sit  
 ut te (vos) deféndat;  
 intra te (vos) sit, ut te (vos) consérvet;  
 ante te (vos) sit, ut te (vos) dedúcat;  
 post te (vos) sit, ut te (vos) benedícat:  
 qui cum Patre et Spírítu Sancto in unitáte perfécta  
 vivit et regnat in sǎcula sǎculórum.<sup>20</sup>

**R.** Amen.<sup>21</sup>

Et benedíctio Dei omnipoténtis,  
 Patris et Fílii ✠ et Spírítus Sancti,  
 descéndat super te (vos), et máneat semper.

**R.** Amen.

Vel aliæ formulæ benedictionis ut in Appendice (II B, p. 133 sq.).

**24. Si vero minister est laicus, super infirmum benedictionem Domini implorat, ac seipsum signans dicit:**

Dóminus Iesus,  
 qui pertránsiit benefaciéndo et sanándo omnes infírmos,  
 in bona valetúdine nos custodíre  
 et sua nos benedictióne cumuláre dignétur.

**R.** Amen.<sup>22</sup>

Vel aliæ formulæ benedictionis ut in Appendice (II B, p. 133 sq.).

**25. Deinde minister aspergit infirmum aqua benedicta, et sic omnes dimittit in pace.**

<sup>20</sup> LHOP, p. 756; cf. PRG II, p. 254.

<sup>21</sup> LHOP, p. 756; cf. OUI, n. 237.

<sup>22</sup> DB, n. 312.

## CAPUT II

### DE COMMUNIONE INFIRMORUM

#### NOTA PRÆVIA

**26.** Prior (vel Priorissa) et delegatus (vel delegata) pro liturgia communitatis, ad Eucharistiam fratri (vel sorori) infirmis deferendam illum ritum seligant qui aptissimus videatur.

**27.** Nonnullis circumstantiis, ex. gr. die Dominica vel in aliqua sollemnitate vel in Triduo paschali, hæc actio liturgica ritu magis communitario laudabiliter fieri potest, sive Missa in cubiculo infirmi celebrata sive pluribus fratribus vel sororibus convenientibus.<sup>1</sup>

**28.** Hic infra nonnullæ inveniuntur conventuales adaptationes indicationum quæ a Rituali Romano in *Ordine Unctionis* præbentur circa Communionem infirmorum; ad quas adicitur facultas adhibendi elementa traditionis liturgicæ nostræ. Complementa generalia communiter in pastorali munere per liturgiam absolvendo adhibita sumantur e textu *Ordinis Unctionis Infirmorum* et e ritibus *De sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam*.

Hic igitur tria schemata proponuntur:

- ritu ordinario (nn. 30-39);
- ritu breviori (nn. 40-43);
- Communio infirmorum qui Missam communitariam undis soniferis participant (n. 44).

**29.** Sacra Communio ministretur a sacerdote vel diacono vel a ministro extraordinario, iuxta facultatem ei datam.<sup>2</sup>

---

<sup>1</sup> MLOP, p. 21.

<sup>2</sup> Cf. SCCME, n. 17.

## I. RITUS ORDINARIUS PRO COMMUNIONE INFIRMORUM

### RITUS INITIALES

**30.** In cubiculo infirmi mensa paretur linteo cooperta, super quam Sacramentum deponatur. Prævideantur etiam, si est consuetudo, vas cum aqua benedicta et aspersorium, necnon cerei super mensam.<sup>3</sup>

**31.** Accedens ad infirmum, minister ipsum ceterosque adstantes humaniter salutatur, adhibens salutationem sequentem:

Pax Dómini sit tecum.

Vel:

Pax huic dómui et ómnibus habitántibus in ea.

Aliæ salutationis formulæ inveniuntur supra, nn. 5-6.

Tunc, deposito Sacramento super mensam, ipsum una cum adstantibus adorat.<sup>4</sup>

**32.** Deinde, pro opportunitate, accepta aqua benedicta, aspergit infirmum et cubiculum, dicens hanc formulam vel aliam similem:

Sit hæc aqua suscepti baptísmatis memória  
et Christum récolat,  
qui Passióne et Resurrectióne sua nos redémit.<sup>5</sup>

Vel, si opportunius videtur, sacerdos et postea infirmus, si potest, atque adstantes aquam ad se signandum accipiunt.

**33.** Minister infirmum ceterosque adstantes invitatur ad actum pænitentialem eliciendum:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra,  
ut apti simus ad hanc sacram celebratióne participándam.

Et fit brevis pausa silentii. Postea minister, vel alius ex adstantibus, sequentes, vel alias, invocationes cum Kýrie, eléison, profert:

Qui pascháli tuo mystério salútem nobis acquisísti:  
Kýrie, eléison.

<sup>3</sup> OUI, n. 48.

<sup>4</sup> OUI, n. 49.

<sup>5</sup> OUI, n. 50.



**Omnes:**

Kýrie, eléison.

**Minister:**

Qui mirabilia tuæ Passiõnis inter nos renováre non désinis:  
Christe, eléison.

**Omnes:**

Christe, eléison.

**Minister:**

Qui per Córporis tui susceptiõnem  
sacrificiî paschális partícipes nos éfficis:  
Kýrie, eléison.

**Omnes:**

Kýrie, eléison.

**Et minister concludit:**

Misereátur nostri omnípotens Deus,  
et dimíssis peccátis nostris  
perdúcat nos ad vitam ætérrnam.

**Omnes respondent:**

Amen.

Alíæ formulæ actus pænientialis ad libitum: Confíteor, n. 60, vel quæ in Appendice (IV, p. 142) præbentur.<sup>6</sup>

#### LECTIO VERBI DEI

**34.** Tunc legi potest, si opportunum videtur, textus Sacrae Scripturae, ab uno ex adstantibus vel ab ipso ministro, ex. gr.:

**Io 6,54-55:** « *Qui manducat meam carnem...* ».

Vel:

**Io 6,54-59:** « *Qui manducat meam carnem...* ».

---

<sup>6</sup> OUI, n. 51.

Vel:

Io 14,6: « *Ego sum via...* ».

Vel:

Io 14,23: « *Si quis diligit me...* ».

Vel:

Io 15,4: « *Manete in me...* ».

Vel:

1 Cor 11,26: « *Quotiescumque manducabitis...* ».

Vel:

Io 14,27; Io 15,5; 1 Io 4,16.

Pro opportunitate, brevis explicatio textus fieri potest.<sup>7</sup>

#### RITUS COMMUNIONIS

**35. Tunc minister recitationem orationis dominicæ introducit his vel similibus verbis:**

Nunc autem una simul Deum deprecémur,  
sicut Dóminus noster Iesus Christus nos dócuit oráre.<sup>8</sup>

Vel:

Voluntáti Patris assentiámur,  
et orémus sicut nos Dóminus dócuit.

**Et omnes simul pergunt:**

Pater noster, qui es in cælis,  
sanctificétur nomen tuum;  
advéniat regnum tuum;  
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.  
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;  
et dimítte nobis débíta nostra,  
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;  
et ne nos indúcas in tentatiónem;  
sed líbera nos a malo.

<sup>7</sup> OUI, n. 53.

<sup>8</sup> OUI, n. 54.

**36. Tunc minister ostendit Ss.mum Sacramentum, dicens:**

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.  
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

**Infirmus aliique communicaturi semel dicunt:**

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:  
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.<sup>9</sup>

**37. Minister ad infirmum accedit, eique Sacramentum ostendens, dicit:**

Corpus Christi (**vel:** Sanguis Christi).

**Infirmus respondet:**

Amen.

**Et communicatur:**

Alii adstantes communicandi, modo consueto Sacramentum recipiunt.<sup>10</sup>

**38. Distributione Communionis expleta, minister de more purificationem peragit. Tunc, pro opportunitate, sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari potest.**

**Deinde minister dicit orationem conclusivam:**

Orémus.

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,  
te fidéliter deprecámur,  
ut sacrosánctum Corpus (**sacrosánctus Sanguis**)  
Dómini nostri Iesu Christi Fílii tui  
prosit fratri nostro (**soróri nostræ**) accipiénti  
ad córporis et ánimæ remédium sempitérnum.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>11</sup>

**R.** Amen.

**Vel:**

Omnípotens sempitérne Deus,  
qui fragilitátem humánæ condiciónis  
infúsa virtútis tuæ dignatióne confírmas

<sup>9</sup> OUI, n. 55.

<sup>10</sup> OUI, n. 56.

<sup>11</sup> OUI, n. 57.

ut salutáribus remédiis córpora nostra et membra vegeténtur,  
 super hunc fámulum tuum **N.** fratrem nostrum  
 (hanc fámulam tuam **N.** sorórem nostram)  
 propítius inténde,  
 ut omni necessitaté corpóreæ infirmitátis exclúsa,  
 grátia in eo (ea) prístinæ sanitátis perfécta reparétur.  
 Per Christum Dóminum nostrum.<sup>12</sup>

**R.** Amen.

#### CONCLUSIO RITUS

**39.** Deinde infirmo et adstantibus benedicit, vel super ipsos signum crucis faci-  
 ciendo cum pyxide, si Sacramentum superfuerit, vel formulas usurpando quæ in  
 ritibus pro infirmis (nn. 12-13 vel 16.17.18.23) aut in fine Missæ adhibentur.<sup>13</sup>

## II. RITUS BREVIOR COMMUNIONIS INFIRMORUM

**40.** Ritus hic brevior adhibetur quando sacra Communio danda est pluribus  
 infirmis in variis cubiculis eiusdem domus vel nosocomii degentibus, nonnullis  
 additis, si casus fert, elementis e ritu ordinario desumptis.<sup>14</sup>

**41.** Ritus incipi potest aut in ecclesia vel in sacello aut in primo cubiculo, mi-  
 nistro dicente unam ex antiphonis sequentibus:

O sacrum convívium, in quo Christus súmitur:  
 recólitur memória passiónis eius,  
 mens implétur grátia  
 et futúre glóriæ nobis pignus datur.<sup>15</sup>

**Vel:**

O quam suávis est, Dómine, spíritus tuus:  
 qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres,  
 pane suavíssimo de cælo præstito,  
 esuriéntes replens bonis  
 fastidiosósque dívites dimíttis inánes.<sup>16</sup>

<sup>12</sup> ASOP 1977, p. 157; cf. *Eccl. Off.*, f. 56r; PS, p. 166.

<sup>13</sup> OUI, n. 58.

<sup>14</sup> OUI, n. 59.

<sup>15</sup> OUI, n. 61.

<sup>16</sup> PS, p. 65.

Vel:

Ave verum corpus, natum  
ex María Vírgine,  
vere passum, immolátum  
in cruce pro hómine:  
cuius latus perforátum  
fluxit aqua et sáanguine,  
esto nobis prægustátum  
mortis in exámine.  
O Iesu dulcis,  
o Iesu pie,  
o Iesu fili Maríæ.<sup>17</sup>

Vel:

Io 6,51

Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi:  
si quis manducáverit ex hoc pane,  
vivet in ætérnum.

**42. Tunc minister, ceroferario pro opportunitate comitante, dicit semel pro omnibus infirmis:**

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.  
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

**Quilibet autem communicandus semel subdit:**

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:  
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

**Deinde ad unumquemque communicandum accedit eique Sacramentum ostendens dicit:**

Corpus Christi (**vel, si casus ferat: Sanguis Christi**).

**Infirmus respondet:**

Amen.

Et comunicatur. Alii adstantes, si qui sint, qui comunicandi sunt, modo consueto Sacramentum recipiunt.

---

<sup>17</sup> PS, p. 454.

**43.** Deinde dicitur oratio conclusiva (supra, n. 38), benedictione omissa.<sup>18</sup>

---

**44.** In conventibus, monasteriis vel communitatibus ubi Missa conventualis vel communitaria undis soniferis in loca ubi infirmi degunt transmittitur, expedit ut infirmis infra eandem Missam sacra Communio deferatur; at sufficit ut minister ad singulos communicandos dicat Corpus Christi (vel, si casus ferat: Sanguis Christi).

---

<sup>18</sup> Cf. OUI, n. 63.

### CAPUT III

## DE SACRAMENTO UNCTIONIS

#### NOTA PRÆVIA

**45.** Prior vel Priorissa, quorum est diligentem curam habere de fratribus vel sororibus infirmis,<sup>1</sup> attente provideant ut ipsi frequenter habeant colloquia cum sacerdote et facile ad sacramenta possint accedere.<sup>2</sup>

Quoad tempus conferendi sacramentum Unctionis attente observentur normæ quæ in *Ordine Unctionis infirmorum* inveniuntur (nn. 8-15, supra pp. 25-26).

Minister proprius Unctionis infirmorum est Prior vel alius sacerdos, iuxta eius dispositiones; ceteri vero sacerdotes Unctionem conferunt tantummodo de eius consensu saltem præsumpto.<sup>3</sup> Apud moniales vero vel sorores, huius ministerii munus ordinarie cappellanus exercet.<sup>4</sup>

**46.** Prior vel Priorissa una cum delegato vel delegata pro liturgia communitatis curam habeant determinandi, una cum ipso infirmo (vel infirma) et communitate, modos celebrationis qui aptissimi videantur: ordinarium scilicet, aut intra Missam vel in connexionem cum aliqua divini Officii Hora.

Ad celebrationem parandam indicationes in *Ordine Unctionis Infirmorum* (nn. 37, 40, 41, 64-67) datæ servantur, variis facultatibus adhibitis quæ a Rituali præbentur. Cura etiam habeatur ut omnes ritum ac preces modo cuique pertinenti participare possint.

**47.** Si plures adsunt sacerdotes, partes ritus inter eos convenienter distribui possunt: unus scilicet ex iis orationes dicat et Unctionem peragat cum sua formula, ceteri vero singulas alias partes ritus, veluti ritus initiales, lectionem Verbi Dei, invocationes aut monitiones, inter se distribuant. Singuli insuper possunt manus imponere.<sup>5</sup>

**48.** Infirmus qui non decumbit Sacramentum recipere potest in ecclesia vel alio loco convenienti. Ibi sedes pro eo paratur necnon pro communitate et, si adsint, pro propinquis vel amicis, qui ad celebrationem participandam venerint.

---

<sup>1</sup> Cf. LCO, n. 9; LCM, n. 8.

<sup>2</sup> Cf. LCO, n. 11; LCM, n. 11; OUI, nn. 16-17.

<sup>3</sup> Cf. CIC, c. 1003,2.

<sup>4</sup> Cf. CIC, c. 566,1; cf. OUI, nn. 16 et 18.

<sup>5</sup> OUI, n. 19.

**49.** Cum Unctio intra Missam ministretur, seligi potest vel Missa de die vel formularium e Missis ritualibus vel e Missali O.P. desumptum. Indicationes infra (nn. 73-76; 195-198) datæ servantur.

**50.** Ad infirmi confessionem sacramentalem audiendam, quoties id necessarium fuerit, sacerdos accedat, si potest, iam ante celebrationem Unctionis. Si vero confessio sacramentalis infirmi tempore Unctionis facienda est, hæc fiat initio ritus. Quando autem intra ritum ipsum non fit, actus pænitentialis opportune habeatur.

## I. RITUS ORDINARIUS PRO UNCTIONE INFIRMORUM

### De præparatione celebrationis

**51.** Unctio infirmorum in fervore orationis et pacis necnon et festive, si fieri potest, celebretur. Iuxta adiuncta paretur locus, sive cubiculum sive chorus sive capitulum.

**52.** Expedit ut mensa linteo cooperta paretur, ubi oleum benedictum vel benedicendum deponatur et, si casus fert, Eucharistia. Prævideantur etiam cerei super mensam et imago Crucifixi, necnon et aqua benedicta nisi processionaliter afferatur. Liber quoque Ritualis atque vestes liturgicæ pro sacerdotibus celebrantibus parentur, omniaque ad celebrationem necessaria.

**53.** Convenit, in quantum fieri potest, quod omnis communitatis sodales Unctioni Fratris infirmi (Sororis infirmæ) intersint. Ideo, pulsante signo modo consueto, conveniunt omnes sive in infirmitorium vel in eius oratorium sive in ecclesiam vel in alium locum idoneum. Tunc fieri potest processio cum aqua benedicta et cruce, ordinate incedentibus Fratribus (Sororibus) habitu Ordinis indutis, sacrista sanctum Oleum deferente et Priore (sacerdote cappellano), veste huic sacro ministerio conveniienti et stola induto.

## RITUS INITIALES

### Celebrationis exordium

**54.** In primis cantari potest alternatim psalmus aliquis conveniens (ex. gr. Ps 24, 40, 42), excepto tamen psalmo 102, Unctioni reservato.

**55.** Accedens ad infirmum, sacerdos infirmum ipsum ceterosque adstantes humaniter salutatur, verbis quæ sequuntur vel aliis:

Pax Dómini sit tecum (vobíscum).

Vel:

Pax huic dómui et ómnibus habitántibus in ea.



Aliæ salutationis formulæ inveniuntur in *Ordine Unctionis Infirmorum*, nn. 230-231.<sup>6</sup>

**56.** Deinde, pro opportunitate, accepta aqua benedicta, sacerdos aspergit infirmum et omnes adstantes, dicens hanc formulam vel aliam in Rituali particulari propositam:

Sit hæc aqua suscepti baptísmatis memória  
et Christum récolat,  
qui Passióne et Resurrectióne sua nos redémit.<sup>7</sup>

Vel, si opportunius videtur, sacerdos et postea infirmus, si potest, atque adstantes aquam ad se signandum accipiunt.

**57.** Deinde his vel similibus verbis adstantes alloquitur:

Omnípotens sempitérne Deus,  
qui per beátum Iacóbum Apóstolum tuum  
indúcere presbýteros ecclésiæ  
et úngere infirmos præcepísti,  
præsta, quæsumus,  
ut dignéris per manus nostras  
hunc fámulum tuum infirmum (hanc fámulam tuam infirmam)  
de óleo sancto isto sanctificáto úngere et benedícere:  
et quod extérius fidéliter postulánte ampléctimur,  
hoc intérius tua virtus invisibíliter operétur.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>8</sup>

Vel ut in *Ordine Unctionis Infirmorum*, n. 70.

## Actus pænitentialis

**58.** Nisi confessio sacramentalis fit, peragatur actus pænitentialis, sacerdote hoc modo incipiente vel similibus verbis:

Fratres (Soróres), agnoscámus peccáta nostra,  
ut apti simus ad hanc sacram celebratióne participándam.

Et fit brevis pausa silentii.<sup>9</sup>

<sup>6</sup> OUI, n. 68.

<sup>7</sup> OUI, n. 69.

<sup>8</sup> Cf. *Eccl. Off.*, f. 56v; PS, pp. 162 sq.

<sup>9</sup> OUI, n. 71.

## Mutuæ misericordiæ petitio

**59.** Tunc, secundum consuetudinem Ordinis,<sup>10</sup> infirmus ad insinuationem Prioris (vel Priorissæ) humiliter roget eum (eam) et omnes adstantes, ut si quid contra eos (eas) deliquit ipsi misericorditer dimittatur; Prior (Priorissa) confirmat infirmo (infirmæ) se et fratres (sorores) ipsi omnia dimisisse.

Iste ritus locum habere potest sive hic sive post liturgiam verbi, prout melius videbitur.

**60.** Tunc omnes sua peccata agnoscendo, confessionem simul faciunt:

Confíteor Deo omnipoténti  
et beátæ Mariæ semper Vírgini  
et beáto Domínico patri nostro  
et ómnibus Sanctis et vobis, fratres (soróres),  
quia peccávi nimis  
cogitatióne, locutióne, ópere et omissiÓne, mea culpa:  
precor vos oráre pro me.

**Sacerdos concludit:**

Misereátur nostri omnípotens Deus  
et dimíttat nobis ómnia peccáta nostra,  
líberet nos ab omni malo,  
salvet et confírmet in omni ópere bono  
et perdúcat nos ad vitam ætérrnam.<sup>11</sup>

**R.** Amen.

**Vel:**

Indulgéntiam et remissionem  
ómnium peccatórum nostrórum,  
per grátiam Sancti Spíritus,  
tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus.

**R.** Amen.<sup>12</sup>

**Aliæ formulæ pænitiæ ad libitum, ut in Appendice (IV, p. 142 sqq.).**

<sup>10</sup> ASOP 1977, p. 146, nn. 11 et 10; *Eccl. Off.*, f. 55v-56r; PS, p. 160.

<sup>11</sup> LHOP, p. 673.

<sup>12</sup> ASOP 1977, p. 156.

**61.** Si autem infirmus est proximus morti, sacerdos ut conclusionem actus pœnitentialis dicere potest absolutionem sequentem:

Dóminus Iesus Christus, qui dixit discíplis suis  
« Quæcúmque ligavéritis super terram, erunt ligáta et in cælis  
et quæcúmque solvéritis super terram,  
erunt solúta et in cælis » (Mt 18,18),  
de quorum número nos, quamvis indígnos, esse vóluit,  
ipse te absólvat per ministérium nostrum  
ab ómnibus peccátiis tuis,  
quæcúmque cogitatióne vel locutióne atque operatióne  
negligénter egísti;  
atque a néxibus peccatórum tuórum absolútum (absolútam)  
perducere dignétur ad regnum cælórum.  
Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti, Deus,  
in sæcula sæculórum.<sup>13</sup>

**R.** Amen.

Deinde sacerdos præsentat infirmo imaginem Crucifixi ad osculandum.

## CELEBRATIO SACRAMENTI

### Lectio Sacræ Scripturæ

**62.** Deinde ab uno ex adstantibus sive clerico sive laico, vel ab ipso sacerdote, legitur textus brevis e Sacra Scriptura:

**Mt 8,5-10.13** « *Vade, sicut credidisti fiat tibi* ».

Audíte, fratres (soróres), verba sancti Evangélii secúndum Matthæum

Cum introísset Iesus Caphárnaum, accéssit ad eum centúrio rogans eum et dicens: « Dómine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquétur ». Et ait illi: « Ego véniam, et curábo eum ».

Et respóndens centúrio ait: « Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestáte, habens sub me mílites, et dico huic: “Vade” et vadit, et álio: “Veni” et venit, et servo meo: “Fac hoc” et facit ».

<sup>13</sup> ASOP 1977, p. 156; cf. *Eccl. Off.*, f. 56r; PS, p. 167.

Áudiens autem Iesus, mirátus est, et sequéntibus se dixit: « Amen dico vobis: Apud nullum invéni tantam fidem in Ísrael ». Et dixit centurióni: « Vade, sicut credidísti fiat tibi ». <sup>14</sup>

*Alii textus ad libitum in Appendice (I, pp. 127-129).*

*Hic autem habetur, sicubi est facienda, pænitentialis præparatio adstantium (n. 58).*

## Litania

**63.** *Litania, quæ infra indicatur, fieri potest vel hic vel post Unctionem.*

**64.** *Sacerdos autem poterit, secundum rerum adiuncta, textum ipsum aptare vel breviate:*

Fratres, oratióne fidei nostræ Dóminum pro fratre nostro (soróre nostra) deprecántes, humíliter implorémus.

– Ut eum (eam), Dómine, misericórditer visitáre et Unctióne sancta confortáre dignéris.

**R.** Te rogámus, audi nos.

– Ut eum (eam) ab omni malo liberáre dignéris.

**R.** Te rogámus, audi nos.

– Ut ómnium infirmórum (hic) decumbéntium pœnas alleváre dignéris.

**R.** Te rogámus, audi nos.

– Ut illis qui infirmis curándis insérviunt adstáre dignéris.

**R.** Te rogámus, audi nos.

– Ut eum (eam) a peccáto et ab omni tentatióne liberáre dignéris.

**R.** Te rogámus, audi nos.

– Ut ei, cui in tuo nómine manus impónimus, vitam et salútem donáre dignéris.

**R.** Te rogámus, audi nos. <sup>15</sup>

**65.** *Tunc sacerdos manus imponit super caput infirmi, nihil dicens. Singuli sacerdotes præsentés eodem modo manus imponere possunt.* <sup>16</sup>

<sup>14</sup> OUI, n. 73.

<sup>15</sup> OUI, n. 73.

<sup>16</sup> OUI, nn. 74 et 19.

---

## Benedictio Olei

---

**66.** Cum oleum, in casu veræ necessitatis,<sup>17</sup> intra ritum benedicendum est, sacerdos dicit:

Orémus

Deus, totius consolatiónis Pater,  
qui per Fílium tuum  
infirmántium languóribus medéri voluísti,  
oratióni fidei adésto propítius:  
emítte, quæsumus, Spíritum tuum Sanctum Paráclitum  
de cælis in hanc pinguédinem ólei,  
quam de víridi ligno producere dignátus es  
ad refectiÓNem córporis,  
ut tua sancta benedictiÓne ✠ sit,  
omni qui hoc unguénto perúngitur,  
tutámen córporis, ánimæ ac spíritus  
ad evacuándos omnes dolóres,  
omnes infirmitátes, omnem ægritúdinem.  
Sit Óleum tuum sanctum, Dómine, nobis a te benedíctum  
in nómine Dómini nostri Iesu Christi.  
Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum.

**R.** Amen.<sup>18</sup>

---

**67.** Si vero Oleum iam benedictum sit, sacerdos dicit orationem gratiarum actionis super Oleum:

Benedíctus Deus, Pater omnípotens, qui propter nos et nostram salutem Fílium tuum in mundum misísti.

**R.** Benedíctus Deus.

Benedíctus Deus, Fili unigénite, qui ad humána nostra descéndens, infirmitátibus nostris medéri voluísti.

**R.** Benedíctus Deus.

---

<sup>17</sup> Cf. OUI, n. 21 sub *b*.

<sup>18</sup> OUI, n. 75.

Benedíctus Deus, Spíritus Sancte Paráclite, qui infírma nostri córporis virtúte pérpeti firmas.

**R.** Benedíctus Deus.

Fámulus tuus (Fámula tua), Dómine, qui (quæ) hoc Óleo sancto in fide linítur, in dolóribus suis réfici mereátur et in infirmitátibus confortári. Per Christum.<sup>19</sup>

**R.** Amen.

### Sacra Unctio

**68.** Deinde sacerdos accipit sanctum Oleum et ungit infirmum in fronte et in manibus, semel dicens:

Per istam sanctam Unctiónem  
et suam piíssimam misericórdiam,  
ádiuvet te Dóminus grátia Spíritus Sancti.

**R.** Amen.

ut a peccátis liberátum (liberátam)  
te salvet atque propítius állevet.

**R.** Amen.<sup>20</sup>

### Pro gratiarum actione

**69.** Unctione peracta, pro gratiarum actione adstantes vel duo fratres psallere possunt, secundum statum corporalem infirmi, unum ex sequentibus psalmis, ex integro aut saltem aliquos versus selectos.<sup>21</sup>

**Ps. 24 (25), 4bc-5ab.6-7bc.8-9.10 et 14.15-16**

**R. (1b):** Ad te, Dómine, levávi ánimam meam.

**Vel:**

**Ps. 33 (34), 2-3.4-5.6-7.10-11.12-13.17 et 19**

**R. (19):** Iuxta est Dóminus iis qui contrító sunt corde.

**Vel: (9a):** Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus.

<sup>19</sup> OUI, n. 75 bis.

<sup>20</sup> OUI, n. 76.

<sup>21</sup> ASOP 1977, p. 150, n. 25.

Vel:

Ps. 102 (103), 1-2.3-4.11-18

**R. (1a):** Bénedic, ánima mea, Dómino.

**Vel: (8):** Miserátor et miséricors Dóminus, longánimis et multæ misericórdiæ.

## Oratio post Unctionem

**70. Deinde sacerdos dicit orationem e sequentibus selectam:**

### *Pro infirmo chirurgicam operationem subituro*

Cura, quæsumus, Redémptor noster, grátia Sancti Spíritus languóres istíus infírmi (infírmæ),  
 eiúsque sana vúlnera et dimítte peccáta,  
 atque dolóres cunctos mentis et córporis ab eo (ea) expélle  
 plenámque intérius et extérius sanitátem  
 redde cleménte,  
 ut ope misericórdiæ tuæ solárium invéniat  
 et diligéntibus eum (eam) restituátur in gáudio,  
 ut, ope misericórdiæ tuæ restitútus (restitúta),  
 ad prístina reparétur offícia.  
 Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

**R. Amen.**<sup>22</sup>

### *Pro infirmo gravi morbo laborante*

Deus, qui factúre tuæ semper pio domináris afféctu,  
 inclína aurem tuam supplicatióibus nostris,  
 et fámulum tuum **N. fratrem nostrum**  
 (fámulam tuam **N. sorórem nostram**)  
 ex advérta valetúdine córporis laborántem placátus réspice  
 et vísitá in salutári tuo,  
 ut cæléstis grátia medicínam accípiat.  
 Per Christum Dóminum nostrum.<sup>23</sup>

**R. Amen.**

<sup>22</sup> Cf. OUI, n. 77,

<sup>23</sup> ASOP 1977, p. 156; cf. GeV, n. 1535; PRG II, p. 249; *Eccl. Off.*, f. 56r; PS, p. 166.

*Ad solacium petendum*

Omnípotens sempitérne Deus,  
 qui fragilitátem humánæ condiciónis  
 infúsa virtútis tuæ dignatióne confírmas  
 ut salutáribus remédiis córpora nostra et membra vegeténtur,  
 super hunc fámulum tuum **N.** fratrem nostrum  
 (hanc fámulam tuam **N.** sorórem nostram)  
 propítius inténde,  
 ut omni necessitáte corpóreæ infirmitátis exclúsa,  
 grátia in eo (in ea) prístinæ sanitátis perfécta reparétur.  
 Per Christum Dóminum nostrum.<sup>24</sup>

**R.** Amen.

*Ad sanitatem impetrandam*

Deus, infirmitátis humánæ singuláre præsidium,  
 auxilií tui super infírmum fratrem nostrum **N.**  
 (infírmam sorórem nostram **N.**)  
 osténde virtútem,  
 ut, ope misericórdiæ tuæ adiútus (adiúta),  
 Ecclésiæ tuæ sanctæ incólumis repræsentári mereátur.  
 Per Christum Dóminum nostrum.<sup>25</sup>

**R.** Amen.

*Aliæ orationes “super psalmos”, variis condicionibus infirmi aptatæ, in Appendice (II A, p. 130 sqq.) inveniuntur.*<sup>26</sup>

## CONCLUSIO RITUS

## Oratio dominica

**71. Sacerdos his vel similibus verbis orationem dominicam introducit:**

Nunc autem una simul Deum deprecémur,  
 sicut Dóminus noster Iesus Christus nos dócuit oráre.<sup>27</sup>

<sup>24</sup> ASOP 1977, p. 157; cf. GeV, n. 1538; PRG II, p. 251; *Eccl. Off.*, f. 56r; PS, p. 166.

<sup>25</sup> ASOP 1977, p. 156; cf. PRG II, p. 253; *Eccl. Off.*, f. 56r; PS, p. 166; MA, p. 1095.

<sup>26</sup> Cf. OUI, nn. 243-246.

<sup>27</sup> OUI, n. 110.



Vel:

Voluntáti Patris assentiámur,  
et orémus sicut nos Dóminus dócuit.<sup>28</sup>

Vel:

Orémus ut Dei volúntas in córdibus  
et in conversatióne nostra fiat.<sup>29</sup>

Et omnes simul pergunt:

Pater noster, qui es in cælis,  
sanctificétur nomen tuum;  
advéniat regnum tuum;  
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.  
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;  
et dimítte nobis débita nostra,  
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;  
et ne nos indúcas in tentatióne;  
sed líbera nos a malo.

Si vero infirmus communicandus sit, post orationem dominicam omnia fiunt ut in ritu Communionis, ut supra, nn. 36-39.

## Formula benedictionis

### 72. Ritus benedictione sacerdotis concluditur:

Benedícat te Deus Pater,  
qui in princípio cuncta creávit.

R. Amen.

Benedícat te Deus Fílius,  
qui de supérnis sédibus nobis Salvátor descéndit  
et Crucem subíre non recusávit.

R. Amen.

Benedícat te Spíritus Sanctus,  
qui in similitúdine colúmbæ requiévít in Christo.<sup>30</sup>

R. Amen.

<sup>28</sup> "Ambrosius", nov.-dic. 1977, p. 483.

<sup>29</sup> "Ambrosius", nov.-dic. 1977, p. 484.

<sup>30</sup> ASOP 1977, pp.150 sq.; cf. PRG II, p. 255.

Benedíctio Dei omnipoténtis,  
Patris et Filii ✠ et Spíritus Sancti,  
descéndat super vos et máneat semper.

R. Amen.

Vel:

Benedícat te Deus Pater cæléstis.

R. Amen.

Ádiuvet te Christus Fílius Dei, Salvátor.

R. Amen.

Illúminet mentem tuam Spíritus Sanctus Paráclitus.

R. Amen.

Corpus tuum in suo sancto servítio conservári fáciat  
atque sensum tuum custódiat.

R. Amen.

Grátiam suam ad proféctum ánimæ tuæ áugeat  
et ab omni malo te líberet.

R. Amen.

Qui sanctos suos semper ádiuvat,  
ipse te adiuváre et conserváre dignétur.<sup>31</sup>

R. Amen.

Vel:

Propitiétur Dóminus cunctis infirmitátibus tuis  
et sanet omnes languóres tuos,  
rédiemet de intéritu vitam tuam  
et corróboret ac sanet in bonis desidérium tuum.

Ipsé te in Trinitáte sanctíficet,  
et custódiat ómnibus diébus vitæ tuæ,  
quem ventúrum exspectámus ad iudícium.

Qui cum Patre et Spíritu Sancto  
vivit et regnat in sæcula sæculórum.<sup>32</sup>

R. Amen.

Aliæ formulæ benedictionis in Appendice (II B, pp. 133 sq.).

<sup>31</sup> Cf. ASOP 1977, p. 157.

<sup>32</sup> ASOP 1977, pp. 152 et 150 ad n. 38.

## II. RITUS INTRA MISSAM

**73.** Quando status infirmi hoc permittit, et præsertim quando ipse sacram Communionem est recepturus, sacra Unctio intra Missam conferri potest, sive in ecclesia sive etiam in domo infirmi vel in nosocomio, loco apto.<sup>33</sup>

**74.** Quoties sacra Unctio intra Missam confertur, dicitur, sacerdote sacris vestibus coloris albi induto, Missa pro infirmis. Occurrente tamen dominica Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, aliqua sollemnitate aut feria IV Cinerum vel feria Hebdomadæ sanctæ, dicitur Missa de die, servata, pro opportunitate, formula benedictionis finalis (n. 72).

Lectiones sumuntur ex iis quæ in *Lectionario Missæ* (III, pp. 740-748) vel in *Ordine Unctionis* (nn. 152 sqq.) proponuntur, nisi utilitas infirmi et adstantium alias lectiones seligere suadeat.

Quando tamen Missa pro infirmis prohibetur, una e lectionibus sumi potest e textibus de quibus supra, nisi occurrat Triduum sacrum, sollemnitas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi vel alia sollemnitas de præcepto servanda.<sup>34</sup>

**75.** Pro celebrationis exordio, præsertim pro actu pænitentiali, elementa inveniuntur supra, nn. 58-61.

**76.** Sacra Unctio confertur post Evangelium et homiliam, hoc ordine:

a) Post lectionem Evangelii, sacerdos in homilia de textu sacro ostendat significationem infirmitatis humanæ in historia salutis, et gratiam sacramenti Unctionis, attendens autem ad statum infirmi et cetera personarum adiuncta.

b) Celebratio Unctionis incipit a litania (n. 64) aut immediate ab impositione manuum (n. 65), si litania vel oratio universalis vel psalmi gratiarum actionis post Unctionem dicenda sunt.

Sequitur benedictio Olei, si iuxta n. 66 facienda est, aut oratio gratiarum actionis super ipsum Oleum (n. 67), et deinde Unctio (n. 68).

c) Tunc, nisi litania præcesserit Unctionem, fit oratio universalis vel psalmi gratiarum actionis, quæ concluduntur oratione post Unctionem dicenda (n. 20). Missa autem consueto more prosequitur per præparationem donorum. Infirmus atque adstantes sub utraque specie communicare possunt.<sup>35</sup>

<sup>33</sup> OUI, n. 80; "Notitiae" 19, fasc. 206, 1984, p. 553.

<sup>34</sup> OUI, n. 81.

<sup>35</sup> OUI, n. 82.

### III. RITUS INTRA ALIQUAM DIVINI OFFICII HORAM

**77.** Quando sacra Unctio intra aliquam divini Officii Horam confertur, cui præest sacerdos (Prior aut Cappellanus) stola albi coloris indutus, fit lectio longior ex iis quæ in Appendice (I A, pp. 127 sq.) proponuntur, nisi utilitas infirmi et adstantium aliam seligere suadeat.<sup>36</sup>

**78.** Sacramentum autem Unctionis hoc ordine confertur:

a) Loco hymni diei et Horæ cantari potest alius hymnus congruus.

b) Psalmi dicuntur qui in *Liturgia Horarum* eo die præbentur, vel qui magis congrui videantur, ut Ps 24, 33, 102 (supra, n. 69).

c) Post lectionem selectam, sacerdos in homilia de textu sacro ostendat significationem infirmitatis humanæ in historia salutis, et gratiam sacramenti Unctionis, attendens autem ad statum infirmi et cetera personarum adiuncta.

Post homiliam, breve tempus silentii servari potest.

d) Tunc, secundum consuetudinem Ordinis,<sup>37</sup> infirmus et adstantes mutuam misericordiam petere possunt, verbis et signis quæ aptiora videntur (cf. n. 59).

e) Celebratio Unctionis incipit ab impositione manuum (n. 65). Sequitur benedictio Olei, si iuxta n. 66 facienda est, aut oratio gratiarum actionis super ipsum Oleum (n. 67), et deinde Unctio (n. 70).

f) Tunc dicitur canticum Evangelii, si Laudes vel Vesperæ celebrantur, et postea litania (n. 64) et Oratio dominica. Celebratio concluditur oratione (n. 70) necnon benedictione (n. 72).

In aliis Horis, post Unctionem habetur litania (n. 64) quæ concluditur oratione (n. 70) necnon benedictione ut supra (n. 72).

g) Celebratione expleta, pro opportunitate osculum pacis dari potest infirmo.

h) Sicubi infirmo ministratur, cum Unctione, etiam Eucharistia, hoc fit post litaniam atque orationem dominicam, formulario ordinario adhibito quod pro ritu continuo indicatur (infra, nn. 134-136).

<sup>36</sup> Cf. OUI, n. 89.

<sup>37</sup> Cf. PS, p.160; ASOP 1977, p. 146, nn. 11 et 10.

## CAPUT IV DE VIATICO

### NOTA PRÆVIA

**79.** Liturgica celebratio in qua Viaticum defertur est, pro infirmo in exitu vitæ constituto<sup>1</sup> necnon et pro eius communitate, professio fidei et pignus resurrectionis, quod conforme est Ritui nostro antiquo et efficaciter exprimitur in novo Rituali Romano.<sup>2</sup>

**80.** Quoties possibile est, Viaticum intra Missam ministretur, in qua paranda et celebranda considerabuntur diversæ facultates in Rituale prævisæ necnon indicationes datæ pro Missis celebrandis in cœtibus particularibus.

Viaticum de more ministrat Prior vel Cappellanus vel, si necesse sit, quicumque sacerdos, ministri competentis licentia præsumpta. Si sacerdoti infirmo Viaticum intra Missam sit ministrandum, convenit ut ipse concelebrat, si potest.

**81.** Si sacerdos deest, Viaticum infirmo deferri potest a diacono vel alio fidei, viro seu muliere, ad normam iuris deputato: diaconus ritum servat hic infra descriptum, minister vero extraordinarius ritum ipsi de more servandum, formula quidem adhibita quæ pro Viatico ministrando hic infra (infra, n. 105) præbetur.<sup>3</sup>

**82.** Si infirmus confiteri velit (ad quod sacerdos attentus esse debet), sacerdos confessionem eius audiat, si potest, iam ante Viatici ministrationem. Si vero confessio sacramentalis in ipsa celebratione facienda sit, fiat initio ritus et actus pœnitentialis omittatur. Quando autem intra ritum ipsum non fit, aut alii adsunt communicandi, actus pœnitentialis opportune habeatur.<sup>4</sup>

**83.** Secundum consuetudinem Ordinis,<sup>5</sup> ante Viaticum ministratum infirmus et fratres vel sorores adstantes mutuam misericordiam petere possunt, verbis et signis quæ aptiora videntur. Hic ritus in actu pœnitentiali (infra, nn. 95-99) vel post liturgiam verbi habeatur.

**84.** Infirmus et ceteri adstantes Communionem sub utraque specie accipere possunt. Licet autem eam sub specie solius vini infirmo ministrare qui eam sub specie panis recipere nequeat.

---

<sup>1</sup> CCE, n. 1523.

<sup>2</sup> ASOP 1977, p. 146 n. 11.

<sup>3</sup> SCCME, nn. 54 et 55.

<sup>4</sup> OUI, n. 100.

<sup>5</sup> ASOP 1977, p. 146, nn. 11 et 10; cf. PS, p. 160.

Si Missa apud infirmum non celebratur, Sanguis Domini in calice, debite cooperto et in tabernaculo reposito, post Missam servetur; ad infirmum vero ne defertur nisi in vasculo ita clauso, ut periculum effusionis omnino vitetur.

In administrando autem Sacramento, singulis in casibus, aptior modus eligatur ex iis qui in distribuenda communione sub utraque specie proponuntur. Si, communione delata, aliquid pretiosissimi Sanguinis remanserit, a ministro sumatur, qui etiam debitas ablutiones perficiendas curet.<sup>6</sup>

## I. DE VIATICO INTRA MISSAM MINISTRANDO

**85.** Quoties Viaticum intra Missam ministratur, dici potest, cum sacris vestibus coloris albi, vel Missa ad ministrandum Viaticum vel Missa de Ss.ma Eucharistia, aut formularium adhibeatur hic infra (nn. 203-211) præbitum. Occurrente tamen dominica Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, aliqua sollemnitate, aut feria IV Cinerum vel feria Hebdomadæ sanctæ, dicitur Missa de die, adhibita, pro opportunitate, formula propria benedictionis finalis (n. 108), vel formula quæ in fine Missæ adhibetur.

Lectiones sumuntur ex iis quæ in Lectionario Missæ (III, pp. 820-840) vel infra (in Appendice I, pp. 127 sqq.) proponuntur; nisi utilitas infirmi et adstantium alias lectiones seligere suadeat.

Quando autem Missa votiva prohibetur, una e lectionibus sumi potest e textibus de quibus supra, nisi occurrat Triduum sacrum, sollemnitas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi vel alia sollemnitas de præcepto servanda.<sup>7</sup>

**86.** Si necesse sit, sacerdos sacramentalem infirmi confessionem excipiat ante Missam celebrationem.<sup>8</sup>

**87.** Missa celebratur modo consueto; sacerdos tamen ad ea quæ sequuntur attendat.<sup>9</sup>

a) secundum consuetudinem Ordinis,<sup>10</sup> ante Viaticum ministratum infirmus et fratres vel sorores adstantes mutuam misericordiam petere possunt (cf. supra, n. 83, et infra, n. 96);

b) post lectionem Evangelii, brevem homiliam de textu sacro, pro opportunitate, sacerdos habere potest, in qua, statu infirmi et ceteris personarum adiunctis præ oculis habitis, momentum et significationem Viatici (cf. nn. 79-81) exponat;

c) sub finem autem homiliæ inducat, si fieri potest, professionem fidei baptismalis ab infirmo renovandam (n. 101). Hæc autem fidei professio locum obtinet symboli in Missa;

<sup>6</sup> OUI, nn. 96 et 95; SCCME, n. 55.

<sup>7</sup> OUI, n. 97.

<sup>8</sup> OUI, n. 98.

<sup>9</sup> OUI, n. 99.

<sup>10</sup> ASOP 1977, p. 146, nn. 11 et 10; cf. PS, p. 160.

d) oratio universalis huic celebrationi aptetur, textu sumpto etiam ex iis qui infra (n. 102) exhibentur; omitti vero potest si renovatio professionis fidei ab infirmo facta præcesserit, et si prævideatur fore ut infirmus nimis defatigetur;

e) loco in Ordine Missæ statuto, sacerdos aliique adstantes signum pacis infirmo dare possunt;

f) tum infirmus tum ceteri adstantes sub utraque specie communicare possunt. In communione autem infirmo præbenda, sacerdos utatur formula pro Viatico ministrando proposita (n. 105);

g) in fine Missæ, sacerdos formulam peculiarem ad benedictionem imperiendam adhibere potest (n. 108) eique formulam indulgentiæ plenariæ in articulo mortis addere, quæ incipit a verbis: *Per sacrosáncta* (n. 99).<sup>11</sup>

## II. DE VIATICO EXTRA MISSAM MINISTRANDO

**88.** In cubiculo infirmi mensa paretur linteo cooperta, super quam Sacramentum deponatur. Prævideantur etiam aqua benedicta nisi processionaliter afferatur, necnon cerei super mensam et imago Crucifixi. Paretur etiam Liber Ritualis et, pro opportunitate, vestes liturgicæ pro ministro, omniaque ad celebrationem necessaria.

### RITUS INITIALES

---

#### Processio ad infirmitorium

**89.** Convenit, in quantum fieri potest, quod omnis communitatis sodales Viatico Fratris infirmi (Sororis infirmæ) intersint. Ideo, pulsante signo modo consueto, conveniunt omnes sive in infirmitorium vel in eius oratorium sive in ecclesiam vel in alium locum idoneum.

**90.** Tunc fieri potest processio cum aqua benedicta et cruce, ordinate incedentibus Fratribus (Sororibus) habitu Ordinis indutis, et Priore (sacerdote cappellano), veste huic sacro ministerio convenienti et stola induto, SS. Sacramentum deferente.

---

**91.** Prior (vel cappellanus) accedens ad infirmum (vel infirmam) ipsum (ipsam) ceterosque adstantes humanis verbis salutet, adhibens, si casus fert, salutationem:

Pax Dómini sit tecum (vobíscum).

---

<sup>11</sup> Cf. OUI, n. 99.

Vel:

Pax huic dómui et ómnibus habitántibus in ea.

Aliæ formulæ salutationis infra, n. 119.

Tunc Sacramentum depositum super mensam paratam, linteo coopertam, sacerdos cum adstantibus adorat.<sup>12</sup>

**92.** Deinde, accepta aqua benedicta, aspergit infirmum et, pro opportunitate, cubiculum, dicens hanc formulam vel aliam:

Sit hæc aqua suscepti baptísmatis memória  
et Christum récolat,  
qui Passióne et Resurrectióne sua nos redémit.<sup>13</sup>

Vel, si opportunius videtur, sacerdos et postea infirmus, si potest, atque adstantes aquam ad se signandum accipiunt.

**93.** Postea, sequenti monitione, vel alia, infirmi condicionibus magis aptata, adstantes alloquitur:

Fratres caríssimi (Soróres caríssimæ), Dóminus Iesus Christus, ántequam transíret ex hoc mundo ad Patrem, nobis relíquit sacraméntum Córporis et Sánguini sui, ut, in hora tránsitus nostri ex hac vita ad ipsum, Viático Córporis et Sánguini eius roboráti, pígnore resurrectiόνis muniámur. Cum fratre nostro (soróre nostra) in caritáte coniúcti, orémus pro eo (ea).<sup>14</sup>

## Actus pænitentialis

**94.** Si necesse sit, sacerdos sacramentalem infirmi confessionem audiat, quæ in casu necessitatis etiam generica esse potest, si aliter fieri nequit.<sup>15</sup>

**95.** Si vero confessio sacramentalis infirmi non fit aut alii adsunt communicandi, sacerdos infirmum ceterosque adstantes invitat ad actum pænitentialem eliciendum:

Fratres (Soróres), agnoscámus peccáta nostra,  
ut apti simus ad hanc sacram celebratióne participándam.

Et fit brevis pausa silentii.<sup>16</sup>

<sup>12</sup> OUI, n. 101.

<sup>13</sup> OUI, n. 102.

<sup>14</sup> OUI, n. 103.

<sup>15</sup> OUI, n. 104.

<sup>16</sup> OUI, n. 105.



---

## Mutuae misericordiae petitio

96. Tunc, secundum consuetudinem Ordinis,<sup>17</sup> infirmus (infirmā) ad insinuationem Prioris (vel Priorissae) humiliter roget eum (eam) et omnes adstantes, ut si quid contra eos (eas) deliquit ipsi misericorditer dimittatur; Prior (Priorissa) confirmat infirmo (infirmā) se et fratres (sorores) ipsi omnia dimisisse.

Iste ritus locum habere potest sive hic sive post liturgiam verbi, prout melius videbitur.

---

97. Tunc omnes sua peccata agnoscendo, confessionem simul faciunt:

Confíteor Deo omnipoténti  
et beátæ Mariæ semper Vírgini  
et beáto Domínico patri nostro  
et ómnibus Sanctis et vobis, fratres (soróres),  
quia peccávi nimis  
cogitatióne, locutióne, ópere et omissiÓne, mea culpa:  
precor vos oráre pro me.

Sacerdos concludit:

Misereátur nostri omnípotens Deus  
et dimíttat nobis ómnia peccáta nostra,  
líberet nos ab omni malo,  
salvet et confírmet in omni ópere bono  
et perdúcat nos ad vitam ætérnam.<sup>18</sup>

R. Amen.

Vel:

Indulgéntiam et remissionem  
ómnium peccatórum nostrórum,  
per grátiam Sancti Spíritus,  
tribuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus.<sup>19</sup>

R. Amen.

Aliæ formulæ actus pænientialis ad libitum, in Appendice (IV, p. 142).

---

<sup>17</sup> ASOP 1977, p. 146, nn. 11 et 10; cf. *Eccl. Off.*, f. 55v-56r; PS, p. 160.

<sup>18</sup> LHOP, p. 673.

<sup>19</sup> ASOP 1977, p. 156.

**98. Si autem infirmus est proximus morti, sacerdos ut conclusionem actus pœnitentialis dicere potest absolutionem sequentem:**

Dóminus Iesus Christus, qui dixit discíplis suis  
 « Quæcúmque ligavéritis super terram, erunt ligáta et in cœlis  
 et quæcúmque solvéritis super terram,  
 erunt solúta et in cœlis » (Mt 18,18),  
 de quorum número nos, quamvis indígnos, esse vóluit,  
 ipse te absólvat per ministérium nostrum  
 ab ómnibus peccátis tuis,  
 quæcúmque cogitatióne vel locutióne atque operatióne  
 negligénter egísti;  
 atque a néxibus peccatórum tuórum absólutum (absólutam)  
 perdúcere dignétur ad regnum cælórum.  
 Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus,  
 in sæcula sæculórum.<sup>20</sup>

**R.** Amen.

**Deinde minister præsentat infirmo imaginem Crucifixi ad osculandum.**

**99. Sacramentum Pœnitentiæ vel actus pœnitentialis concludi potest indulgentia plenaria in articulo mortis, quam sacerdos infirmo hoc modo concedit:**

Ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta,  
 indulgéntiam plenáriam et remissionem ómnium peccatórum  
 tibi concédo,  
 in nómine Patris et Filii ✠ et Spíritus Sancti.

**R.** Amen.

**Vel:**

Per sacrosáncta humánæ reparatiónis mystéria,  
 remíttat tibi omnípotens Deus  
 omnes præsentis et futúre vitæ pœnas,  
 paradísi portas apériat  
 et ad gáudia te sempitérna perdúcat.<sup>21</sup>

**R.** Amen.

<sup>20</sup> ASOP 1977, p. 156; *Eccl. Off.*, f. 56r; PS, p. 167.

<sup>21</sup> OUI, n. 106.

## LECTIO VERBI DEI

**100.** Valde convenit ut ab uno ex adstantibus vel ab ipso sacerdote legatur brevis textus Sacrae Scripturae, ex. gr.:

Io 6,54-55

Qui manducat meam carnem  
et bibit meum sanguinem  
habet vitam aeternam  
et ego resuscitabo eum in novissimo die:  
caro enim mea verus est cibus,  
et sanguis meus verus est potus.

Io 6,54-59

Qui manducat meam carnem  
et bibit meum sanguinem  
habet vitam aeternam  
et ego resuscitabo eum in novissimo die:  
caro enim mea verus est cibus,  
et sanguis meus verus est potus.  
Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem  
in me manet et ego in illo.  
[Sicut misit me vivens Pater  
et ego vivo propter Patrem,  
et qui manducat me et ipse vivet propter me.  
Hic est panis qui de caelo descendit,  
non sicut manducaverunt patres et mortui sunt:  
qui manducat hunc panem vivet in aeternum.]

Io 14,6

Ego sum via et veritas et vita:  
nemo venit ad Patrem nisi per me.

Io 14,23

Si quis diligit me, sermonem meum servabit,  
et Pater meus diliget eum,  
et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.

Io 15,4

Manete in me, et ego in vobis.  
Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso  
nisi manserit in vite,  
sic nec vos nisi in me manseritis.

1 Cor 11,26

Quotiescumque manducabitis panem hunc  
et calicem bibetis,  
mortem Domini annuntiatis donec veniat.

Seligi potest etiam alius textus aptus ex iis qui infra (in Appendice I, pp. 127-129) proponuntur. Cuius textus brevis explicatio, pro opportunitate, fieri potest.<sup>22</sup>

#### PROFESSIO FIDEI BAPTISMALIS

**101.** Expediit ut infirmus, antequam Viaticum recipiat, fidei baptismalis professionem renovet. Proinde sacerdos, vel minister Eucharistiam deferens, brevi introductione aptis verbis præhabita, eum interrogat:

Credis in Deum Patrem omnipotentem,  
creatorem cæli et terræ?

R. Credo.

Credis in Iesum Christum, Filium eius unicum,  
Dominum nostrum,  
natum ex Mariá Virgine,  
passum et sepultum,  
qui a mortuis resurrexit et sedet ad dexteram Patris?

R. Credo.

Credis in Spiritum Sanctum,  
sanctam Ecclesiam catholicam,  
sanctorum communionem,  
remissionem peccatorum,  
carnis resurrectionem et vitam æternam?

R. Credo.<sup>23</sup>

#### SUPPLICATIO PRO INFIRMO

**102.** Deinde, si condiciones infirmi id permittunt, fit brevis litania his vel similibus verbis, ipso infirmo, quantum fieri potest, atque adstantibus respondentibus:

Dominum Iesum Christum, fratres carissimi (sorores carissimæ), uno corde invocemus:

- Te, Domine, qui dilexisti nos in finem et teipsum morti tradidisti ut nobis vitam dares, pro fratre nostro (sorore nostra) deprecamur:

R. Exaudi nos, Domine.

<sup>22</sup> OUI, n. 107.

<sup>23</sup> OUI, n. 108.

- Te, Dómine, qui dixísti: Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem habet vitam ætérnam, pro fratre nostro (soróre nostra) deprecámur:

**R.** Exáudi nos, Dómine.

- Te, Dómine, qui nos invítas ad illud convívium ubi non erit ámplius dolor neque luctus neque tristítia neque separátio, pro fratre nostro (soróre nostra) deprecámur:

**R.** Exáudi nos, Dómine.<sup>24</sup>

#### VIATICUM

**103. Tunc sacerdos his vel similibus verbis recitationem orationis dominicæ introducit:**

Nunc autem una simul Deum deprecémur,  
sicut Dóminus noster Iesus Christus nos dócuit oráre.<sup>25</sup>

**Vel:**

Voluntáti Patris assentiámur,  
et orémus sicut nos Dóminus dócuit.

**Et omnes simul pergunt:**

Pater noster, qui es in cælis,  
sanctificétur nomen tuum;  
advéniat regnum tuum;  
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.  
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;  
et dimítte nobis débita nostra,  
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;  
et ne nos indúcas in tentatiónem;  
sed líbera nos a malo.

**104. Tunc sacerdos Ss.mum Sacramentum ostendens, dicit:**

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.  
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

---

<sup>24</sup> OUI, n. 109.

<sup>25</sup> OUI, n. 110.

Et infirmus, si potest, alique communicaturi semel dicunt:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:  
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.<sup>26</sup>

**105. Sacerdos ad infirmum accedit, eique Sacramentum ostendens, dicit:**

Corpus (Sanguis) Dómini nostri Iesu Christi custódiat te  
et perdúcat ad vitam ætérnam.<sup>27</sup>

Vel:

Corpus Christi (vel, si casus ferat: Sanguis Christi).

Infirmus respondet:

Amen.

Et statim, vel post datam Communionem, sacerdos addit:

Ipse te custódiat et perdúcat in vitam ætérnam.

Infirmus respondet:

Amen.

Adstantes qui communicare cupiunt, modo consueto Sacramentum recipiunt.<sup>28</sup>

**106. Distributione Communionis expleta, sacerdos de more purificationem peragit. Tunc, pro opportunitate, sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari potest.<sup>29</sup>**

CONCLUSIO RITUS

**107. Deinde sacerdos dicit orationem conclusivam:**

Orémus.

Deus, cuius Fílius nobis est via, véritas et vita,  
réspice cleménter fámulum tuum (fámulam tuam) **N.**  
et præsta ut, tuis promissionibus se committens  
et Fílii tui Córporis et Sánguine recreátus (recreáta),  
ad regnum tuum progrediátur in pace.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>30</sup>

**R.** Amen.

<sup>26</sup> OUI, n. 111.

<sup>27</sup> *Eccl. Off.*, f. 55v; PS, p. 151.

<sup>28</sup> OUI, n. 112.

<sup>29</sup> OUI, n. 113.

<sup>30</sup> OUI, n. 114.

Vel:

Satiáti, Dómine, munéribus sacris, et de tua pietáte confísi,  
te humíliter deprecámur,  
ut miseréri dignéris ánimæ fámuli tui **N.** (fámulæ tuæ **N.**):  
ne præváleat advérsus eam inimícus in hora mortis eius,  
sed tránsitum mereátur ad vitam ætérrnam.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>31</sup>

R. Amen.

**108. Deinde sacerdos infirmo atque adstantibus benedicit:**

Benedíctio Dei omnipoténtis,  
Patris et Filii ✠ et Spíritus Sancti,  
descéndat super vos et máneat semper.

R. Amen.

Vel:

Benedícat te Deus Pater, qui in princípío cuncta creávit.

R. Amen.

Benedícat te Deus Fílius, qui de supérnis sédibus  
nobis Salvátor descéndit  
et Crucem subíre non recusávit.

R. Amen.

Benedícat te Spíritus Sanctus,  
qui in similitúdine colúmbæ requiévít in Christo.

R. Amen.

Iipse te in Trinitáte sanctífícet,  
et custódiat ómnibus diébus vitæ tuæ,  
quem ventúrum exspectámus ad iudícium.  
Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat  
in sæcula sæculórum.<sup>32</sup>

R. Amen.

---

<sup>31</sup> MOP, p. [79].

<sup>32</sup> ASOP 1977, pp. 150 sq.; cf. PRG II, p. 255.

(Et vos omnes, qui hic simul adéstitis,  
benedícat omnípotens Deus,  
Pater et Fílius ✠ et Spíritus Sanctus.

R. Amen).<sup>33</sup>

Aliæ formulæ benedictionis in Appendice (II B, p. 133); vel, si Sacramentum superfuerit, sacerdos eo infirmum benedicere potest, super ipsum signum crucis faciendo.<sup>34</sup>

**109.** Celebratione expleta, pro opportunitate sacerdos et adstantes signum pacis infirmo dare possunt.<sup>35</sup>

**110.** Quando Viaticum infirmo defertur ab acolytho vel a ministro extraordinario Sacrae Communionis ad normam iuris deputato, servatur ritus ut supra, sed post orationem conclusivam, loco benedictionis minister dicit:

Dóminus sit semper tecum,  
virtúte sua te múniat  
et in pace custódiat.

R. Amen.

---

<sup>33</sup> OUI, n. 79.

<sup>34</sup> OUI, n. 114.

<sup>35</sup> *Ibid.*



CAPUT V  
**ORDO PRÆBENDI SACRAMENTA  
IN PERICULO MORTIS**

NOTA PRÆVIA

**111.** Cum morbo repentino aliisve de causis frater vel soror in proximo mortis periculo quasi ex improvise constituatur, ritus continuus adhiberi potest quo infirmus sacramentis Pœnitentiæ, Unctionis et Eucharistiæ ad modum Viatici muniatur.

Si vero, instante mortis periculo, tempus non suppetat omnia sacramenta modo hic descripto ministrandi, primum detur infirmo opportunitas confessionis sacramentalis, etiam pro necessitate generice peragendæ, deinde ei præbeatur Viaticum, ad quod recipiendum quivis fidelis in periculo mortis tenetur. Postea, si tempus adhuc superest, sacra Unctio conferatur.

Si vero, ob infirmitatem, Eucharistiam recipere nequit, sacra Unctio ei ministranda est.<sup>1</sup>

**112.** Hoc in ritu continuo indicationes generales sunt servandæ quæ ad omne munus pastorale erga infirmos spectant<sup>2</sup> necnon orientationes Ordinis circa fratres vel sorores infirmos: saltem igitur aliquot sodales communitatis adesse præstat, ut hic infra memoratur (n. 116).

Nonnulli quidem infirmi plene sunt parati ad sacramenta ritu continuo accipienda, cum mortis periculum proximum et repentinum subit. Alii vero fortasse non tam parati sunt ad hæc sacramenta omnia simul recipienda, ut exinde spirituale trahere possint beneficium. Cunctis igitur condicionibus perspectis, sive in domo sive in nosocomio infirmus degat, nonnumquam expedire potest ut pauci tantum fratres vel sorores apud fratrem vel sororem morti proximum adsint.<sup>3</sup>

**113.** Si infirmus confiteri velit (ad quod Prior attentus esse debet), sacerdos confessionem eius audiat, si potest, iam ante celebrationem Unctionis et Viatici. In casu necessitatis, confessio etiam generica esse potest, si aliter fieri nequit. Si vero confessio sacramentalis in ipsa celebratione sit facienda, fiat initio ritus, ante Unctionem. Quando autem confessio sacramentalis infirmi intra ritum ipsum non fit, actus pœnitentialis opportune habeatur.<sup>4</sup>

---

<sup>1</sup> Cf. OUI, n. 30.

<sup>2</sup> Cf. OUI, nn. 33 et 36.

<sup>3</sup> Cf. OUI, n. 33.

<sup>4</sup> Cf. OUI, n. 115 et 120.

**114.** Urgente periculo, infirmus cito ungetur unica Unctione, ac deinde Viaticum ei statim præbeatur, ad normam n. 111, ita ut in suo transitu ex hac vita, Corpore Christi roboratus, pignore resurrectionis muniatur. Omnes enim fideles, in periculo mortis, monentur ut sacra communione sub specie Viatici reficiantur.<sup>5</sup>

**115.** Ad infirmum et communitatem præparandos atque circa officia a diversis ministris præbenda et præsertim a Priore, qui ordinarie minister est sacramentorum, indicationes servantur quæ inveniuntur supra, nn. 45-50.

Si frater vel soror infirmus in nosocomio versatur, oportet ut Prior vel Priorissa, postquam cum Cappellano loci communicaverit vel cum iis qui munus pastorale erga infirmos ibi exercent, celebrationem prævideat aptam, attendens statum physicum condicionesque loci et personarum ibi versantium necnon et fratrum vel sororum et propinquorum infirmi qui actioni liturgicæ adesse possint.

**116.** Celebratio hic infra describitur quæ peragi potest cum adsint conventus vel nonnulli fratres vel sorores et propinqui, circa infirmum congregati. Aptatis vero aptandis, et opportuna præparatione disposita, hæc elementa adhiberi possunt etiam cum infirmus extra domum religiosam versatur.

## RITUS CONTINUUS PÆNITENTIÆ, UNCTIONIS ET VIATICI

### RITUS INITIALES

#### Celebrationis exordium

**117.** Ad infirmum occurrendum processio fieri potest cum aqua benedicta et cruce, ordinate incedentibus Fratribus (Sororibus) habitu Ordinis indutis, sacrista sanctum Oleum deferente et Priore (sacerdote cappellano), veste huic sacro ministerio convenienti induto, SS. Sacramentum deferente.

**118.** In primis cantari potest alternatim psalmus aliquis conveniens (ex. gr. Ps 24, 40, 42), ex eis qui in textibus variis proponuntur, excepto tamen psalmo 102, sicubi Unctioni sit reservatus.

**119.** Accedens ad infirmum, sacerdos infirmum ipsum ceterosque adstantes humaniter salutatur, verbis quæ sequuntur vel aliis:

Pax huic dómui et ómnibus habitántibus in ea.<sup>6</sup>

**R.** Benedíctus Deus nunc et semper.<sup>7</sup>

<sup>5</sup> Cf. CIC, c. 911; OUI, n. 116.

<sup>6</sup> Cf. PS, p. 162.

<sup>7</sup> Cf. DB, n. 75.

Vel:

Pax et benedictio Dei Patris omnipotentis  
et Filii ✠ et Spíritus Sancti  
descéndat super nos et super domum istam  
et super omnes habitántes et conveniéntes in ea.<sup>8</sup>

R. Amen.

Aliæ salutationis formulæ inveniuntur in *Ordine Unctionis Infirmorum*, nn. 230-231.  
Tunc sacerdos, deposito Sacramento super mensam, ipsum cum adstantibus adorat.<sup>9</sup>

**120.** Deinde, pro opportunitate, accepta aqua benedicta, sacerdos aspergit infirmum et omnes adstantes, dicens hanc formulam vel aliam in Rituali particulari propositam:

Sit hæc aqua suscepti baptísmatis memória  
et Christum récolat,  
qui Passióne et Resurrectióne sua nos redémit.<sup>10</sup>

Vel, si opportunius videtur, sacerdos et postea infirmus, si potest, atque adstantes aquam ad se signandum accipiunt.

**121.** Si autem opus est, fraterno colloquio sacerdos infirmum disponat ad sacramentorum celebrationem, proferens, pro opportunitate, brevem Evangelii textum, quo illum ad pænitentiam et ad Dei amorem invitat. Sequentem autem monitionem, vel aliam infirmi condicionibus aptiorem, adhibere potest:

Fratres caríssimi (Soróres caríssimæ),  
Dóminus Iesus, qui semper nobis adest,  
suórum semper réfovens grátia sacramentórum,  
sacerdotum ministério pæniténtes absólvit,  
infirmos Unctióne sancta confórtat,  
et eos, qui eius præstolántur advéntum,  
sacro Córporis sui Viático in spem vitæ ætérnæ sustentat.  
Hunc ergo fratrem nostrum (Hanc ergo sorórem nostram),  
cui peténti hæc tria sacraménta præbémus,  
caritáte piisque précibus adiuvémus.<sup>11</sup>

<sup>8</sup> *Manuale Ambrosianum*, ed. M. Magistretti, vol. II, 1905, p. 94.

<sup>9</sup> OUI, n. 118.

<sup>10</sup> OUI, n. 118.

<sup>11</sup> OUI, n. 119.

Vel:

Fratres (Soróres):  
 humáni gestus habéntur  
 (amicórum præsentia, donórum oblátio, etc.)  
 qui nostram éxprimant amicítiam  
 gaudiúmque áfferant.  
 Pro fratre nostro (soróre nostra) **N.**  
 Dóminus Iesus hódie, iis quidem amicítiae signis  
 quæ sunt sacraménta,  
 sui præsentiam et dilectiónem osténdere desíderat.  
 Presbyterórum nempe ministério,  
 véniam tríbuit ómnibus qui pæniténtiam agunt,  
 sacra Unctióne infirmis solátium tríbuit  
 et ómnibus qui eius advéntum in glória expéctant  
 ipse proprium Corpus præbet ut viáticum  
 ad eórum spem in vitam ætérnam sustentándam.  
 Frater noster (Soror nostra) **N.**  
 hæc tria sacraménta suscipiéndam pétiit.  
 Quæ dum præbémus,  
 dilectióne ac précibus nostris illum (illam) sustineámus.<sup>12</sup>

### Actus pænitentialis

**122.** Si necesse sit, sacerdos sacramentalem infirmi confessionem excipiat, quæ in casu necessitatis etiam generica esse potest, si aliter fieri nequit.<sup>13</sup>

**123.** Si vero confessio sacramentalis infirmi non fit aut alii adsunt communicandi, sacerdos infirmum ceterosque adstantes invitat ad actum pænitentialem eliciendum:

Fratres (Soróres), agnoscámus peccáta nostra,  
 ut apti simus ad hanc sacram celebratiónem participándam.<sup>14</sup>

Et fit brevis pausa silentii.

<sup>12</sup> Cf. OUI, ed. francogallica 1977, p. 74.

<sup>13</sup> OUI, n. 120.

<sup>14</sup> OUI, n. 121.

---

### Mutuæ misericordiæ petitio

**124.** Tunc, secundum consuetudinem Ordinis,<sup>15</sup> infirmus ad insinuationem Prioris (vel Priorissæ) humiliter roget eum (eam) et omnes adstantes, ut si quid contra eos (eas) deliquit ipsi misericorditer dimittatur; Prior (Priorissa) confirmat infirmo (infirmæ) se et fratres (sorores) ipsi omnia dimisisse.

Iste ritus locum habere potest sive hic sive post liturgiam verbi, prout melius videbitur.

---

**125.** Tunc omnes sua peccata agnoscendo, confessionem simul faciunt:

Confíteor Deo omnipoténti  
et beátæ Mariæ semper Vírgini  
et beáto Domínico patri nostro  
et ómnibus Sanctis et vobis, fratres (soróres),  
quia peccávi nimis  
cogitatióne, locutióne, ópere et omissiόne, mea culpa:  
precor vos oráre pro me.

Et sacerdos concludit:

Misereátur nostri omnípotens Deus  
et dimíttat nobis ómnia peccáta nostra,  
líberet nos ab omni malo,  
salvet et confírmet in omni ópere bono  
et perdúcat nos ad vitam ætérnam.<sup>16</sup>

R. Amen.

Sacerdos ut conclusionem actus pænitentialis dicit infirmo:

Dóminus Iesus Christus, qui dixit discípulis suis  
« Quæcúmque ligáveritis super terram, erunt ligáta et in cælis  
et quæcúmque solvéritis super terram,  
erunt solúta et in cælis » (Mt 18,18),  
de quorum número nos, quamvis indígnos, esse vóluit,  
ipse te absólvat per ministérium nostrum  
ab ómnibus peccátis tuis,  
quæcúmque cogitatióne vel locutióne atque operatióne  
negligénter egísti;

---

<sup>15</sup> ASOP 1977, p. 146, nn. 11 et 10; cf. PS, p. 160.

<sup>16</sup> LHOP, p. 673.

atque a néxibus peccatórum tuórum absolútum (absolútam)  
 perdúcere dignétur ad regnum cælórum.  
 Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus,  
 in sæcula sæculórum.<sup>17</sup>

R. Amen.

Deinde minister præsentat infirmo imaginem Crucifixi ad osculandum.

---

**126. Sacramentum Pænitiæ vel actus pænientialis concludi potest indulgentia plenaria in articulo mortis, quam sacerdos infirmo hoc modo concedit:**

Ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta,  
 indulgéntiam plenáriam et remissionem ómnium peccatórum  
 tibi concédo,  
 in nómine Patris et Fílii ✠ et Spíritus Sancti.

R. Amen.

Vel:

Per sacrosáncta humánæ reparatiónis mystéria,  
 remíttat tibi omnípotens Deus  
 omnes præsentis et futúræ vitæ pœnas,  
 paradísi portas apériat  
 et ad gáudia te sempitérna perdúcat.<sup>18</sup>

R. Amen.

---

## Professio fidei baptismalis et Litanía

**127. Deinde, si condiciones infirmi id permittunt, fit professio fidei baptismalis et brevis litanía, infirmo, quantum fieri potest, atque adstantibus respondentibus.**

Sacerdos interrogat:

Credis in Deum Patrem omnipoténtem,  
 creatórem cæli et terræ?

R. Credo.

---

<sup>17</sup> ASOP 1977, p. 156; cf. *Eccl. Off.*, f. 56r; PS, p. 167.

<sup>18</sup> OUI, n. 122.

Credis in Iesum Christum, Fílium eius únicum,  
Dóminum nostrum,  
natum ex María Vírgine,  
passum et sepúltum,  
qui a mórtuis resurréxit et sedet ad dexteram Patris?

R. Credo.

Credis in Spíritum Sanctum,  
sanctam Ecclésiám cathólicam,  
sanctórum communióem,  
remissióem peccatórum,  
carnis resurrecciónem et vitam ætéenam?

R. Credo.<sup>19</sup>

### Litania

**128.** *Formulæ quæ sequuntur accommodari possunt ad orationem infirmi et adstantium aptius exprimendam.*

Fratérna caritaté coniúnti, Dóminum exorémus ut occúrrat  
ad fratrem nostrum **N.** adiuvándum  
(ad sorórem nostram **N.** adiuvándam),  
eum (eam) fovens sacraméntis fídei.

R. Veni, Dómine Iesu.

Ut in eum (eam) respíciens,  
Pater fáciem Fílii sui patiéntis agnóscat,  
Dóminum exorémus:

R. Veni, Dómine Iesu.

Ut eum (eam) in amóre suo confórtet atque consérvet,  
Dóminum exorémus:

R. Veni, Dómine Iesu.

Ut ei virtútem suam et pacem concédatur,  
Dóminum exorémus:

R. Veni, Dómine Iesu.<sup>20</sup>

---

<sup>19</sup> OUI, n. 123.

<sup>20</sup> Cf. OUI, n. 123.

## UNCTIO INFIRMORUM

**129.** Tunc sacerdos manus imponit super caput infirmi, nihil dicens. Singuli sacerdotes praesentes eodem modo manus imponere possunt.<sup>21</sup>

## Gratiarum actio et benedictio Olei

**130.** Si vero Oleum est iam benedictum, sacerdos dicere potest orationem gratiarum actionis super ipsum Oleum:

Benedíctus Deus, Pater omnípotens, qui propter nos et nostram salutem Fílium tuum in mundum misísti.

**R.** Benedíctus Deus.

Benedíctus Deus, Fili Unigénite, qui ad humana nostra descéndens, infirmitátibus nostris medéri voluísti.

**R.** Benedíctus Deus.

Benedíctus Deus, Spíritus Sancte Paráclite, qui infirma nostri córporis virtúte pépeti firmas.

**R.** Benedíctus Deus.

Fámulus tuus (Fámula tua), Dómine, qui (quæ) hoc Óleo sancto in fide linítur, in dolóribus suis réfici mereátur et in infirmitátibus confortári. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>22</sup>

**R.** Amen.

---

**131.** Si vero Oleum benedicendum sit,<sup>23</sup> sacerdos dicit:

Bénedic, ✠ Dómine, hanc Ólei creatúram et ipsum étiam infirmum (ipsam étiam infirmam) qui (quæ) hoc leniménto perúngitur.<sup>24</sup>

Vel:

Deus, totíus benedictiónis Pater, qui per Fílium tuum infirmántium languóribus medéri voluísti,

---

<sup>21</sup> Cf. OUI, nn. 19 et 125.

<sup>22</sup> OUI, n. 127.

<sup>23</sup> Cf. OUI, n. 21.

<sup>24</sup> OUI, n. 126.



oratióni fidei adésto propítius:  
 emítte, quáesumus, Spíritum tuum Sanctum Paráclitum  
 de cælis in hanc pinguédinem Ólei,  
 quam de víridi ligno producere dignátus es  
 ad refectionem córporis,  
 ut tua sancta benedictióne ✠  
 sit omni, qui hoc unguénto perúngitur,  
 tutámen córporis, ánimæ ac spíritus  
 ad evacuándos omnes dolóres, omnes infirmitátes,  
 omnem ægritúdinem.  
 Sit Óleum tuum sanctum, Dómine, nobis a te benédicium  
 in nómine Dómini nostri Iesu Christi.  
 Qui tecum vivit et regnat in sǽcula sǽculórum.

R. Amen.<sup>25</sup>

## Sacra Unctio

**132.** *Postea sacerdos accipit Oleum et ungit infirmum in fronte et in manibus, semel dicens:*

Per istam sanctam Unctiónem  
 et suam piíssimam misericórdiam,  
 ádiuvet te Dóminus grátia Spíritus Sancti;

R. Amen.

ut a peccátis liberátum (liberátam)  
 te salvet atque propítius állevet.

R. Amen.<sup>26</sup>

## VIATICUM

**133.** *Sacerdos his vel similibus verbis recitationem orationis dominicæ introducit:*

Nunc autem una simul Deum deprecémur,  
 sicut Dóminus noster Iesus Christus nos dócuit oráre.<sup>27</sup>

<sup>25</sup> OUI, n. 75.

<sup>26</sup> OUI, n. 128.

<sup>27</sup> OUI, n. 129.

Vel:

Voluntáti Patris assentiámur,  
et orémus sicut Dóminus nos dócuit.

Et omnes simul pergunt:

Pater noster, qui es in cælis,  
sanctificétur nomen tuum;  
advéniat regnum tuum;  
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.  
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;  
et dimítte nobis débita nostra,  
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;  
et ne nos indúcas in tentatiónem;  
sed líbera nos a malo.

**134. Tunc sacerdos Ss.mum Sacramentum ostendens dicit:**

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.  
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

Et infirmus, si potest, alique communicaturi semel dicunt:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:  
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.<sup>28</sup>

**135. Sacerdos ad infirmum accedit, eique Sacramentum ostendens dicit:**

Corpus (Sanguis) Dómini nostri Iesu Christi custódiat te  
et perdúcat ad vitam ætéram.<sup>29</sup>

Vel:

Corpus Christi (vel: Sanguis Christi).

Infirmus respondet:

Amen.

Et statim, vel post datam Communionem, sacerdos addit:

Ipse te custódiat et perdúcat in vitam ætéram.

Infirmus respondet:

Amen.

<sup>28</sup> OUI, n. 130.

<sup>29</sup> *Eccl. Off.*, f. 55v; PS, p. 151.

Adstantes qui communicare cupiunt, modo consueto Sacramentum recipiunt.<sup>30</sup>

**136.** Distributione Communionis expleta, sacerdos de more purificationem peragit. Tunc pro opportunitate, sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari præstat.<sup>31</sup>

#### CONCLUSIO RITUS

**137.** Pro gratiarum actione adstantes aut duo fratres vel sorores psallere possunt psalmum 24 vel 33 vel 102 (ut supra, n. 69), secundum valetudinem infirmi.

**138.** Deinde sacerdos dicit orationem:

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, conservátor animárum,  
qui, quos díligis, córripis,  
et quos récipis, pie ad emendatiónem coérces:  
te invocámus, Dómine, ut fámulo tuo, qui (fámulæ tuæ, quæ)  
in córpore pátitur membrórum debilitátem,  
grátiam tuam conférre dignéris,  
ut in hora éxitus sui de córpore,  
absque mortális peccáti mácula,  
tibi Datóri próprio per manus sanctórum Angelórum tuórum  
eius ánima repræsentári mereátur.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>32</sup>

R. Amen.

Vel:

Satiáti, Dómine, munéribus sacris et de tua pietáte confísi,  
te humíliter deprecámur,  
ut miseréri dignéris  
ánimæ fámuli tui (fámulæ tuæ) N.:  
ne præváleat advérsus eam inimícus in hora mortis eius,  
sed tránsitum mereátur ad vitam perpétuam.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>33</sup>

R. Amen.

<sup>30</sup> OUI, n. 131.

<sup>31</sup> OUI, n. 132.

<sup>32</sup> Gre, n. 2794; *Sacr. Fuld.*, ed. G. Richter - A. Schönfelder, Fulda 1921, reimpr. London 1980, n. 2455; *Eccl. Off.*, f. 56v; PS, p. 174.

<sup>33</sup> MOP, p. [79].

**139. Ritus benedictione sacerdotis concluditur:**

Benedíctio Dei omnipoténtis,  
Patris et Fílii ✠ et Spíritus Sancti,  
descéndat super vos et máneat semper.

R. Amen.

Vel:

Benedícat te Deus Pater cæléstis.

R. Amen.

Ádiuvet te Christus Fílius Dei.

R. Amen.

Illúminet mentem tuam Spíritus Sanctus.

R. Amen.

Grátiam suam ad proféctum ánimæ tuæ áugeat  
et ab omni malo te líberet.

R. Amen.

Qui sanctos suos semper ádiuvat,  
ipse te adiuváre et conserváre dignétur.

R. Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,  
benedícat omnípotens Deus,  
Pater et Fílius ✠ et Spíritus Sanctus.

R. Amen.<sup>34</sup>

**140. In fine celebrationis tum ipse Prior vel sacerdos et Priorissa, tum ceteri fratres (sorores) infirmo (infirmæ) signum pacis dare possunt.**<sup>35</sup>

<sup>34</sup> ASOP 1977, pp. 157 et 150.

<sup>35</sup> Cf. OUI, n. 133.

## DE UNCTIONE SINE VIATICO CONFERENDA

## Unctio infirmi in proximo mortis periculo

**141.** Si propter rerum adiuncta, infirmo in proximo mortis periculo constituto Unctio tantum conferenda sit absque ministratione Viatici, ritus servetur ut hic infra indicatur, aptationibus opportunis.<sup>36</sup>

Peragatur igitur impositio manuum tantum, ut signum præsentiae et orationis Ecclesiae, necnon Olei unctio, sequente prece. Hæc vero pauca ita sacerdos agat ut sua atque fratrum vel sororum præsentia, significet quicquid fidei et humanitatis alio modo exprimi nequit.

**142.** *Monitio initialis actioni accommodetur his vel similibus verbis:*

Fratres carissimi (Soróres carissimæ), Dóminus Iesus Christus per apóstolum Iacóbum mandávit:

« Infirmátur quis in vobis? Ádvocet presbýteros Ecclesiæ et orent super eum, unguéntes eum óleo in Nómine Dómini: et orátio fidei salvábit infirmum, et allevábit eum Dóminus; et si peccáta operátus fúerit, dimitténtur ei ».

Commendémus ergo fratrem nostrum infirmum (sorórem nostram infirmam) grátiae et virtúti Christi, ut levámen invéniat atque salútem.

**143.** *Expleta vero Unctione, sacerdos dicat orationem condicionibus infirmi aptiorem:*

*Pro fidei ætate confecto*

Fámulum tuum (Fámulam tuam), Dómine, ætátis infirmitáte laborántem et pro córporis et ánimæ salúte grátiam tuam in Unctióne sancta peténtem propítius réspice: ut Spíritus tui plenitúdine confortátus (confortáta), in fide fortis pérmanens et in spe sua secúrus (secúra), ómnibus patiéntiæ exhibeat documéntum et hílarem osténdat tuæ caritátis afféctum. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>37</sup>

**R.** Amen.

<sup>36</sup> Cf. OUI, n. 134.

<sup>37</sup> OUI, n. 243.

Vel:

*Pro fidei in agonia posito*

Clementíssime Pater,  
 qui omnis bonæ voluntátis es cógnitor,  
 qui peccáta semper dimíttis  
 nec unquam véniam dénegas peténti,  
 fámuli tui (fámulæ tuæ) **N.** in extrémó agóne luctántis  
 propítius miserére:  
 ut sancta Unctióne linítus (liníta)  
 et fidei nostræ précibus adiútus (adiúta)  
 in ánima sublevétur et córpore,  
 et peccatórum vénia impetráta,  
 amóris tui múnere roborétur.  
 Per Christum Fílium tuum,  
 qui, devícta morte, æternitátis nobis áditum reserávit  
 tecúmque vivit et regnat in sǎcula sǎculórum.<sup>38</sup>

**R.** Amen.

**144.** Deinde sacerdos orationem dominicam his vel similibus verbis introducit:

Nunc autem una simul Deum deprecémur,  
 sicut Dóminus noster Iesus Christus nos dócuit oráre.<sup>39</sup>

Pater noster, etc.

**145.** Ritus benedictione sacerdotis concluditur:

Benedíctio Dei omnipoténtis,  
 Patris et Fílii ✠ et Spíritus Sancti,  
 descéndat super vos, et máneat semper.

**R.** Amen.

Vel:

Benédicat te Deus Pater,  
 salvet te Deus Fílius,  
 illúminet te Spíritus Sanctus.

**R.** Amen.

<sup>38</sup> OUI, n. 246.

<sup>39</sup> OUI, n. 129.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,  
benedícat omnípotens Deus, Pater et Fílius ✠ et Spíritus Sanctus.

R. Amen.<sup>40</sup>

## De Unctione in dubio an infirmus adhuc vivat

**146.** Si sacerdos dubitat an infirmus adhuc vivat, Unctionem conferat modo sequenti.<sup>41</sup>

**147.** Accedens ad infirmum, si tempus suppetere videtur, sacerdos adstantibus dicit:

Oratióne fidei nostræ  
Dóminum pro fratre nostro (soróre nostra) N. deprecémur,  
ut eum (eam) misericórditer visitáre  
et Unctióne sancta refovére dignétur.

R. Te rogámus, audi nos.

Et statim Unctionem illi præbet, dicens:

Si vivis, per istam sanctam Unctiónem  
et suam piíssimam misericórdiam  
ádiuvet te Dóminus grátia Spíritus Sancti;

R. Amen.

ut a peccátis liberátum (liberátam)  
te salvet atque propítius állevet.

R. Amen.

Pro opportunitate autem, orationem condicionibus infirmi aptiorem addere potest, ut supra, n. 143.<sup>42</sup>

<sup>40</sup> OUI, n. 79.

<sup>41</sup> Cf. OUI, n. 15 et CIC, c. 941 [CIC 1983, c. 1005].

<sup>42</sup> OUI, n. 135.

## CAPUT VI

### DE COMMENDATIONE MORIENTIUM

#### NOTA PRÆVIA

**148.** Cum frater vel soror est in exitu vitæ constitutus, expedit ut talem eventum communitas maxima sollicitudine fraterna atque sensu fidei respiciat. Deo igitur supplicetur ut fratris vel sororis nostræ misereatur neque eorum in Christo fiducia deficiat. Qua ipsa oratione, communitas caritatem erga fratrem vel sororem necnon et suam communionem cum universa Ecclesia magnopere renovat.<sup>1</sup>

**149.** Oratio vero fratrum vel sororum confortat morientem, si adhuc conscius vel conscia sit, ut anxietatem mortis homini innatam acceptans, Christum patientem et morientem imitando, eandem superet per virtutem eius qui mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit.

Si autem moribundus iam sui conscius non sit, communitas quæ eum assistit consolationem ex his precibus hauriat, memorans sensum paschalem mortis christianæ. Quem sensum etiam signo visibili exprimere sæpe expedit, signando moribundum signo crucis in fronte, in qua primum signatus est in baptisate.<sup>2</sup>

**150.** Rituale Romanum integrum ordinem celebrationis non præscribit, sed orationes et lectiones colligit, iuxta adiuncta seligendas.

Prior vel Priorissa necnon et delegatus vel delegata pro liturgia aptum statuunt modum præsentiae et participationis conventus, præ oculis habentes statum infirmi, desiderium fratrum vel sororum, præsentiam forte propinquorum et condiciones loci. Celebratio varietur si in domo religiosa fiat, multis vel paucis adstantibus, aut in nosocomio nonnullis infirmum circumstantibus.<sup>3</sup>

**151.** Hoc Rituale duo præbet schemata: « adsistentia morientis communitaria » sicubi fieri potest et optatur, et « adsistentia a singulis vel paucis facta » sicubi adunatio apud morientem fieri non potest vel non est optabilis.

In celebratione quidem communitaria, præstat incipere per sequentiam liturgiæ consuetam (introductione scilicet, lectionibus, litanis ceterisque elementis), magis quam statim incipere « formulis brevibus » in Rituali propositis.<sup>4</sup>

---

<sup>1</sup> Cf. OUI, n. 138; ASOP 1977, p. 146, n. 12.

<sup>2</sup> Cf. OUI, n. 139.

<sup>3</sup> Cf. ACG 1974, n.170 = ASOP 1977, p. 144, nn. 6-7; p. 146, n. 13.

<sup>4</sup> ASOP 1977, p. 146 n. 13.



**152.** Tempore quidem opportuno potest dici vel cantari, iuxta traditionem Ordinis, antiphona *Salve Regina* et post expirationem semper *Subvenite Sancti Dei*. Memorari autem oportet orationem communitatis non solum antiphonis supra dictis exprimendam esse, sed pro commendatione morientium, fratribus vel sororibus adstantibus, praevidendas esse lectiones vel formulas iaculatorias quae orationem morientis sustineant.<sup>5</sup>

**153.** Prioris est et delegati pro liturgia communitatis haec tempora orationis praeparare et ducere. Sicubi autem in communitate adest frater cui gratia consolationis morientium magis suppetit, expedit ut ipsius auxilium petatur.

Libri necessarii afferantur atque, ubi mos est, stola pro celebrante necnon aqua benedicta, crux et cereus accendendus.

**154.** In communitatibus autem monialium vel sororum, si pro commendationis et expirationis precibus dicendis adstet cappellanus vel alius sacerdos aut diaconus una cum Priorissa et sororibus, clarius exprimitur transitus christifidelis in communione Ecclesiae.

Deficiente autem sacerdote vel diacono, idem exprimitur cum Priorissa vel alia soror ad hoc deputata precibus praest omniaque peragere potest quae secundum Rituale a laicis fieri possunt.<sup>6</sup>

**155.** Si variis causis vel necessitatibus fratres vel sorores non possunt circa morientem congregari, valde expedit ut hora et loco congruis, ad orandum pro eo vel pro ea domi conveniant. Tunc, praeter Litanias Sanctorum et orationem commendationis ut infra, aliqui psalmi possunt cantari necnon quaedam lectiones verbi divini audiri ex eis quae proponuntur. Haec fieri possunt intra aliquam Horam divini Officii, ordine scilicet sequenti: post psalmodiam, loco capituli, lectio longior selecta, prex Litaniae, symbolum et oratio dominica, oratio commendationis, et deinde antiphona in honorem Beatae Mariae Virginis.

## I. ADSISTENTIA MORIENTIS COMMUNITARIA

**156.** Praeter adsistentiam spiritualem moribundo vel moribundae praebendam, praesertim cum orationibus et formulis iaculatoribus necnon lectionibus verbi divini ut infra dictum est, Prior vel Priorissa una cum communitate apud fratrem vel sororem morientem sollicitet adstent, iuxta opportunitate, eiusque transitum orationibus comitentur.

Sicubi igitur, morte appropinquante, moribundus longiorem precationem sustinere potest, signo more consueto pulsato communitas accurrat.<sup>7</sup>

---

<sup>5</sup> ASOP 1977, p. 146 n. 13.

<sup>6</sup> Cf. OUI, nn. 29, 141, 142; ASOP 1977, p. 144.

<sup>7</sup> ASOP 1977, p. 146, nn. 12-13; cf. PS, p. 170 sq..

**157.** Post aliquod tempus orationis communitariæ, si mors non imminet vel agonia prolongatur, vel etiam si nimia frequentia adstantium parum opportuna videtur, Prior vel Priorissa curant ut nonnisi aliquot maneant, qui commendationem morientis singuli peragant, ut infra (nn. 173-175) dictum est.

### Initium celebrationis

**158.** Accedens ad moribundum, sacerdos, veste huic sacro ministerio convenienti indutus, infirmum ceterosque adstantes humaniter salutat:

Pax Dómini sit tecum.

Vel:

Pax huic dómui et ómnibus habitántibus in ea.<sup>8</sup>

**159.** Deinde, pro opportunitate, accepta aqua benedicta, sacerdos aspergit infirmum et cubiculum, dicens hanc formulam:

Sit hæc aqua suscépti baptísmatis memória  
et Christum récolat,  
qui Passióne et Resurrectióne sua nos redémit.<sup>9</sup>

### Invocatio misericordiæ Dei

**160.** Tunc sacerdos monet adstantes ut Dominum exorent ad fratrem vel sororem sustinendum in hac difficili hora eius vitæ:

*Pro eo qui in magno periculo versatur*

Redémpstor ómnium, Deus,  
qui dolóres nostros in tua ipse Passióne tulísti  
et nostras ipse infirmitátes portásti,  
pro fratre nostro **N.** infírmo (pro soróre nostra **N.** infírma)  
te humíliter deprecámur,  
ut, a te redémpsum (redémpsam),  
in suæ spe salútis érigi concédas  
et córpore et ánima sustentáre dignéris.  
Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.<sup>10</sup>

**R.** Amen.

<sup>8</sup> OUI, n. 68.

<sup>9</sup> OUI, n. 69.

<sup>10</sup> OUI, n. 244.

Vel:

*Pro fideli in agonia posito*

Omnípotens sempitérne Deus, conservátor animárum,  
 qui, quos díligis, córripis,  
 et quos récipis, pie ad emendatiónem perdúcis:  
 te invocámus, Dómine, ut fámulo tuo, qui (fámulæ tuæ, quæ)  
 in córpore pátitur membrórum debilitátem,  
 grátiam tuam conférre dignéris,  
 ut in hora éxitus sui de córpore,  
 absque mortális peccáti mácula,  
 tibi Datóri próprio per manus sanctórum Angelórum tuórum  
 eius ánima repræsentári mereátur.  
 Per Christum Dóminum nostrum.<sup>11</sup>

R. Amen.

---

**161.** Si hoc convenire videtur, sacerdos morienti præbere potest Crucifixi imaginem osculandam vel eum signare signo crucis in fronte antequam ei concedat, si hanc gratiam nondum recepit occasione Viatici, indulgentiam plenariam in articulo mortis, hoc modo:

Ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta,  
 indulgéntiam plenáriam et remissionem ómnium peccatórum  
 tibi concédo,  
 in nómine Patris et Fílii ✠ et Spíritus Sancti.

R. Amen.

Vel:

Per sacrosáncta humánæ reparatiónis mystéria,  
 remíttat tibi omnípotens Deus  
 omnes præsentis et futúre vitæ pœnas,  
 paradísi portas apériat  
 et ad gáudia te sempitérna perdúcat.

R. Amen.<sup>12</sup>

---

<sup>11</sup> Gre, n. 2764; *Sacr. Fuld.*, ed. G. Richter - A. Schönfelder, Fulda 1921, reimpr. London 1980, n. 2455; *Eccl. Off.*, f. 55v; PS, p. 174.

<sup>12</sup> OUI, n. 106.

## LECTIONES BIBLICÆ

**162.** Si iuxta adiuncta liceat, fiat lectio biblica, lente quidem et pausis silentii interpositis. Textus vero conveniens seligatur, præsertim ex iis qui in Appendice (I, pp. 127-129) ad hoc præbentur; sed et alius textus seligi potest si statui fratris vel sororis morientis convenire videtur.<sup>13</sup>

**163.** Nonnulli textus biblici hic transcribuntur, quo commodius adhibeantur:

Iob 19,25-27a

Scio quod redemptor meus vivit  
et in novissimo super púlvere stabit;  
et post pellem meam hanc, quam abstraxérunt,  
et de carne mea vidébo Deum.  
Quem visúrus sum ego ipse,  
et óculi mei conspectúri sunt, et non aliénium.

Rom 14,7-9

Nemo nostrum sibi vivit et nemo sibi móritur;  
sive enim vívimus, Dómino vívimus,  
sive mórimur, Dómino mórimur.  
Sive ergo vívimus, sive mórimur, Dómini sumus.  
In hoc enim Christus et mórtuus est et vixit,  
ut et mortuórum et vivórum dominétur.

Ps 30 (31), 2.6; 15-16 a.17

**R.** In manus tuas comméndo spíritum meum;  
redemísti me, Dómine, Deus veritátis.

In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum;  
in iustítia tua líbera me. **R.**

In manus tuas comméndo spíritum meum;  
redemísti me, Dómine, Deus veritátis. **R.**

Ego autem in te sperávi, Dómine;  
dixi: « Deus meus es tu,  
in mánibus tuis sortes meæ ». **R.**

Illústra fáciem tuam super servum tuum,  
salvum me fac in misericórdia tua. **R.**

<sup>13</sup> OUI, n. 144..

Lc 23,42-43

[Latro] dicébat: « Iesu, meménto mei cum véneris in regnum tuum ».

Et dixit illi: « Amen dico tibi: Hódie mecum eris in paradíso ».

### Litaniæ Sanctorum et aliæ preces

**164.** Si moribundus orationem longiorem sustinere potest, adstantes litanias Sanctorum recitent cum responsione « Ora pro eo (ea) ». Forma vero brevior litaniarum præferatur; cum invocationibus sanctorum Ordinis necnon sancti patroni morientis vel adstantium cœtus. Adhiberi potest formularium ad hoc in Appendice (III B, p. 136) præbitum.<sup>14</sup>

Recitari possunt, voce submissa, temporibus silentii interiectis, etiam breves orationes iaculatorias quæ in Appendice (III, p. 135) præbentur.<sup>15</sup>

**165.** Possunt etiam recitari vel cantari nonnullæ e precibus consuetis, præsertim inter sequentes selectæ.

In spe resurrectionis et æternæ vitæ, nostram fidem profiteámur:<sup>16</sup>

Credo in Deum, Patrem omnipoténtem,  
Creatórem cæli et terræ;  
et in Iesum Christum Fílium eius únicum,  
Dóminum nostrum:  
qui concéptus est de Spíritu Sancto,  
natus ex María Vírgine,  
passus sub Póntio Pílato,  
crucifíxus, mórtuus et sepúltus,  
descéndit ad ínferos, tértia die resurréxit a mórtuis,  
ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis,  
inde ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos;  
credo in Spíritum Sanctum,  
sanctam Ecclésiám cathólicam,  
sanctórum communiónem,  
remissiónem peccatórum,  
carnis resurrectionem,  
vitam ætérrnam. Amen.<sup>17</sup>

<sup>14</sup> OUI, n. 145.

<sup>15</sup> OUI, n. 140.

<sup>16</sup> RE Ambr., n. 118.

<sup>17</sup> Cf. *Eccl. Off.*, f. 56v; cf. PS, p. 170.

Vel:

Fides in Deum, Patrem nostrum,  
in Iesum Salvatorem  
et in Spiritum vivificantem,  
fortes nos faciat et serenos.<sup>18</sup>

Vel:

Fratrem nostrum (sororem nostram), Domine,  
conforta et laetifica  
dilectione eorum qui iam vivunt apud te,  
fratrum scilicet et sororum in via Domini,  
necnon eius familiarium et amicorum  
omniumque qui gaudium communicant  
te cognoscendi ut ipse es.  
Quibus cum omnibus, ipsorum dilectione confisi,  
orationem dicimus quam nobis docuisti:  
Pater noster, etc.

Beatam Virginem Mariam respiciamus,  
quae stans iuxta Crucem  
Filium suum vidit patientem et morientem:  
ipsa nos adiuvet ut hanc horam doloris  
una cum fratre nostro (sorore nostra) vivamus.  
Omnes dicamus simul:  
Ave Maria...

Vel:

Crux mihi certa salus.  
Crux est quam semper adoro.  
Crux Domini mecum.  
Crux mihi refugium.<sup>19</sup>

Vel:

Maria, mater gratiae,  
mater misericordiae,  
tu nos ab hoste protege  
et hora mortis suscipe.<sup>20</sup>

Vel etiam aliqua e Formulis brevibus in Appendice (III A, p. 135) praebitis.

<sup>18</sup> RE Ambr., n. 80.

<sup>19</sup> LHOP, p. 754.

<sup>20</sup> LHOP, p. 594.

## ORATIONES PRO COMMENDATIONE

**166.** Quando vero instare videtur momentum exitus, Prior vel alius ex adstantibus recitare potest aliquam e sequentibus orationibus.<sup>21</sup>

**167.** Orationes ad moribundum directæ

Proficiscere, ánima christiána, de hoc mundo,  
in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit,  
in nómine Iesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est,  
in nómine Spíritus Sancti, qui in te effúsus est;  
hódie sit in pace locus tuus  
et habitátio tua apud Deum in sancta Sion,  
cum sancta Dei Genetríce Vírgine María,  
cum sancto Ioseph  
et ómnibus Ángelis et Sanctis Dei.<sup>22</sup>

Vel:

Comméndo te omnipoténti Deo,  
caríssime frater (caríssima soror),  
et ei, cuius es creatúra, commítto,  
ut ad auctórem tuum,  
qui te de limo terræ formávit, revertáris.  
Tibi itaque egrediénti de hac vita  
Sancta María, Ángeli et omnes Sancti occúrrant.  
Líberet te Christus, qui pro te crucifíxus est,  
líberet te Christus, qui pro te mori dignátus est,  
constítuat te Christus, Fílius Dei vivi, intra paradísium suum  
et inter oves suas te verus ille Pastor agnóscat.  
Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat  
atque inter eléctos suos te constítuat.  
Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas  
et contemplatióne Dei potiáris in sæcula sæculórum.

R. Amen.<sup>23</sup>

<sup>21</sup> Cf. OUI, n: 145.

<sup>22</sup> OUI, n. 146.

<sup>23</sup> OUI, n. 147.

**168. Orationes ad Deum directæ**

Súscipe, Dómine, servum tuum (servam tuam)  
in locum sperándæ sibi salvatiónis a misericórdia tua.

R. Amen.

Líbera, Dómine, servum tuum (servam tuam)  
ex ómnibus tribulatióibus.

R. Amen.

Líbera, Dómine, servum tuum (servam tuam)  
sicut liberásti Noe de dilúvio.

R. Amen.

Líbera, Dómine, servum tuum (servam tuam)  
sicut liberásti Ábraham de Ur Chaldeórum.

R. Amen.

Líbera, Dómine, servum tuum (servam tuam)  
sicut liberásti Iob de passióibus suis.

R. Amen.

Líbera, Dómine, servum tuum (servam tuam)  
sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis.

R. Amen.

Líbera, Dómine, servum tuum (servam tuam)  
sicut liberásti Daniélem de lacu leónum.

R. Amen.

Líbera, Dómine, servum tuum (servam tuam)  
sicut liberásti tres púeros de camíno ignis ardéntis  
et de manu regis iníqui.

R. Amen.

Líbera, Dómine, servum tuum (servam tuam)  
sicut liberásti Susánnam de falso crímine.

R. Amen.



Líbera, Dómine, servum tuum (servam tuam)  
sicut liberásti David de manu regis Saul  
et de manu Golíæ.

R. Amen.

Líbera, Dómine, servum tuum (servam tuam)  
sicut liberásti Petrum et Paulum de carcéribus.

R. Amen.

Líbera, Dómine, servum tuum (servam tuam)  
per Iesum Salvatórem nostrum,  
qui pro nobis mortem súbiit amáram  
nobisque vitam donávit ætérrnam.

R. Amen.<sup>24</sup>

Vel:

Commendámus tibi, Dómine, fámulum tuum N. (fámulam tuam N.),  
precamúrque te, Dómine Iesu Christe, Salvátor mundi,  
ut propter quem (quam) ad terram misericórditer descendísti,  
in gáudium regni tui benígnus accípias.

Licet enim peccáverit,

Patrem et Fílium et Spíritum Sanctum non negávit sed crédidit,  
et Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.<sup>25</sup>

## CONCLUSIO RITUS

**169.** *Precibus commendationis dictis, cantari vel dici potest, iuxta consuetudinem Ordinis, Salve Regína aut alius cantus vel oratio ad Beatam Virginem Mariam, cuius textus moribundo sit notus. Hæc marialis invocatio indicat mortem christianam, sicut dormitionem Mariæ, spe illustrari, quia Christi paschale mysterium operatur in ea.*

**170.** *Tunc officians præbet morienti imaginem Crucifixi osculandam vel morientem signat signo crucis in fronte, nisi decursu celebrationis iam fecit.*

*Deinde dicit formulam benedictionis super moribundum et super adstantes, verbis sequentibus:*<sup>26</sup>

<sup>24</sup> OUI, n. 148.

<sup>25</sup> OUI, n. 149.

<sup>26</sup> Cf. OUI, n. 139.

Partem beátæ resurrectiõnis obtíneat  
vitámque ætérnam habére mereátur in cælis  
per te, Iesu Christe, Salvátor mundi;<sup>27</sup>

Pater et Fílius et Spíritus Sanctus  
máneant semper nobíscum  
et in spe nos custódiant.

**R.** Amen.

### Statim post expirationem

**171. Egressa anima, stantibus omnibus qui adsunt, cantor mox incipiat responsorium quod sequitur:**

**R.** Subveníte, Sancti Dei, occúrrite, Ángeli Dómini,  
suscipiéntes ánimam eius,  
offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

**V** Suscípiat te Christus, qui vocávit te,  
et in sinum Ábrahæ Ángeli dedúcant te.

**R.** Suscipiéntes ánimam eius,  
offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

**V** Réquiem ætérnam dona ei, Dómine,  
et lux perpétua lúceat ei.

**R.** Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.<sup>28</sup>

**172. Deinde Prior vel Priorissa dicit:**

Tibi, Dómine, commendámus fámulum tuum (fámulam tuam) **N.**,  
ut defúnctus (defúncta) sæculo tibi vivat,  
et quæ per fragilitátem humánæ conversatiõnis peccáta commísit,  
tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>29</sup>

**R.** Amen.

<sup>27</sup> Gre, n. 4072; *Eccl. Off.*, f. 57r; PS, p. 185.

<sup>28</sup> OUI, n. 151; PS, p.180.

<sup>29</sup> Gre, n. 4068; *Eccl. Off.*, f. 56v; PS, p. 181; OUI, n. 151.

Vel, pro opportunitate:

Misericórdiam tuam, Dómine sancte,  
Pater omnípotens, ætérne Deus,  
pietátis afféctu pro áliis rogáre urgémur,  
qui pro nostris supplicáre peccátis nequáquam sufficimus.  
Tamen, de tua confísi gratuíta pietáte et sólita benignitáte,  
cleméntiam tuam depóscimus  
ut ánimam servi tui (ancíllæ tuæ) **N.** ad te reverténtem  
cum pietáte suscípias.  
Adsit ei Ángelus testaménti tui, Míchael;  
et per manus sanctórum Angelórum  
inter sanctos et eléctos tuos  
in sinu Ábrahæ, Ísaac et Iacob patriarchárum tuórum,  
eam collocáre dignéris:  
quátenus liberáta de princípibus tenebrárum et de locis pœnárum,  
nullis iam primævæ nativitátis vel ignorántiæ  
aut própriæ iniquitátis seu fragilitátis confundátur erróribus,  
sed pótius agnoscátur a tuis,  
et sanctæ beatitúdinis réquie perfruátur;  
atque cum magni iudícii dies advénerit,  
inter sanctos et eléctos tuos resuscitátus (resuscitáta),  
glória maniféstæ contemplatiónis tuæ perpétuo satiétur.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>30</sup>

**R.** Amen.

Si quis moritur absente conventu, ii qui adsunt dicunt responsorium *Subveníte* cum oratione.

---

<sup>30</sup> ASOP 1977, p. 152; Gre, n. 4071; *Eccl. Off.*, f. 56v; PS, p. 181.

## II. ADSISTENTIA MORIENTIS A SINGULIS VEL PAUCIS FACTA

**173.** Sicubi nimia frequentia adstantium parum opportuna videtur, qui deputati sunt ad orationem adiuvandam atque ad extrema solacia morienti præbenda, quælibet ex elementis hic supra positis sumere possunt.

Post salutationem, possunt etiam, si opportunius videtur, simpliciter formulas breves (nn. 162-165) et unam vel aliam lectionem biblicam (n. 163) adhiberi. Si moribundus longiorem precationem sustinere potest, litanîæ Sanctorum vel preces consuetæ recitari possunt.<sup>31</sup>

**174.** Quando instare videtur momentum exitus, expedit ut orationes pro commendatione morientis (supra, nn. 164-165) dicantur atque, iuxta consuetudinem Ordinis, antiphona *Salve Regína* cantetur.

**175.** Egressa anima, omnes genua flectant atque aliquis adstantium, seu sacerdos vel diaconus si adsunt, dicit *Subveníte Sancti Dei* atque orationem ut supra (nn. 171-172).<sup>32</sup>

---

<sup>31</sup> OUI, n. 145.

<sup>32</sup> OUI, n. 141.

## CAPUT VII

### DE OFFICIO POST OBITUM

#### NOTA PRÆVIA

**176.** Secundum *Ordinem Exsequiarum* Ritualis Romani<sup>1</sup> et traditionem Ordinis<sup>2</sup> opportunum est sanctificare potiora momenta mortis et sepulturæ fratris vel sororis: vigiliam scilicet seu tempus orationis apud defunctum, corporis depositionem in feretrum, celebrationem Eucharistiæ et ultimam valedictionem ad defunctum, translationem ad sepulcrum et orationes in cœmeterio.

**177.** Orientationes quæ sequuntur principaliter respiciunt fratrem vel sororem in sua communitate morientem. Quando autem frater vel soror extra communitatem moritur, aut quando corpus in conventum deferri non potest, Prior vel Priorissa necnon et delegatus vel delegata pro liturgia quod possunt provideant ut sollicitudo Ordinis erga fratrem vel sororem defunctos quodammodo exprimatur.<sup>3</sup>

**178.** Cum frater vel soror in nosocomio moritur et eius corpus nonnisi ante Missam exsequiarum in conventum referri potest, elementa liturgica quæ in hac sectione præbentur adhiberi possunt ad orationem nonnullorum fratrum, sororum et familiarium in obitorio nosocomii ordinandam. In conventu vero provideri potest celebratio choralis, dum alii sodales communitatis adsunt apud defunctum vel defunctam in nosocomio.

**179.** Post mortem fratris vel sororis, ab infirmario (infirmaria) et eis qui eum (eam) adiuvant paratur corpus defuncti (defunctæ). Dum corpus præparatur et cetera pietatis officia defuncto vel defunctæ redduntur, ubi mos est orationes sequentes fieri possunt, etiam si pauci sunt adstantes.<sup>4</sup>

**180.** Iuxta consuetudinem, defunctus vel defuncta induitur habitu Ordinis, manibus in modum crucis dispositis. Collocari vero potest etiam aliquod signum religiosum quod ipse vel ipsa potissimum dilexerit. Si quidem sacerdos fuerit, stola duci potest circa collum eius super pectus pendens, si vero diaconus stola transversa.<sup>5</sup>

---

<sup>1</sup> Cf. OE, n. 3.

<sup>2</sup> ASOP 1977, p. 147, n. 14.

<sup>3</sup> *Ibid.*

<sup>4</sup> Cf. OE, n. 31; ASOP 1977, p. 147 n. 15 et p. 162 n. 29; PS, pp. 180-186.

<sup>5</sup> Cf. PS, p. 183; COP, n. 1934.

Apud corpus expositum, cereus vel ipse cereus paschalis sit collocatus necnon et aqua benedicta, una cum libro Sacrarum Scripturarum, ad ministerium verbi significandum cui frater defunctus vel soror defuncta vitam suo quisque modo devovit.<sup>6</sup>

## I. PRECES POST OBITUM

**181.** Apud corpus fratris vel sororis nuper defuncti vel defunctæ, haberi præstat primum tempus orationis, vel paucis adstantibus, in cubiculo defuncti vel alio loco in quo corpus depositum sit.

### Initium celebrationis

**182.** Prior aut Priorissa vel Cappellanus, veste convenienti indutus vel induta, stat apud defunctum vel defunctam; cereum potest accendere et corpus defuncti aqua benedicta aspergit.

Deinde adstantes invitat ad orandum his vel similibus verbis:

Deus, cui soli cõmpetit  
medicínam præstare post mortem,  
præsta, quæsumus, ut ánima fámuli tui (fámulæ tuæ) **N.**,  
terrénis exúta contágiis  
in tuæ redemptiõnis parte numerétur.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>7</sup>

**R.** Amen.

### Psalmodia

**183.** Seligi potest psalmus vel pars ipsius inter eos qui infra indicantur:

**Ant.** Suscípia te Christus, qui vocávit te: et in sinum Ábrahæ ángeli dedúcant te.

**Ps 114,1-20:** « *In exitu Israel de Ægypto...* ».

**Vel:**

**Ant.** Chorus angelórum eum (eam) suscípia, et in sinu Ábrahæ eum (eam) cõllocet: et cum Lázaro quondam páupere ætérrnam hábeat réquiem.

**Ps 113:** « *Laudate, pueri Domini* ».

<sup>6</sup> ASOP 1977, p. 147, n. 15.

<sup>7</sup> *Sacr. Veron.*, ed. L.C. Mohlberg, Roma 1956, n. 1147; *Eccl. Off.*, f. 57r; PS, p. 186.

Vel:

Ps 116,10 ss.: « *Credidi, etiam cum locutus sum* ».

Vel:

Ps 117: « *Laudate Dominum, omnes gentes* ».

## Preces

### 184. Deinde Prior aut Priorissa vel Cappellanus dicit orationem:

Omnípotens sempitérne Deus,  
 qui humáno córpori ánimam  
 ad similitúdinem tuam inspiráre dignátus es:  
 dum te iubénte pulvis in púlverem revértitur,  
 tu imáginem tuam cum sanctis et eléctis tuis  
 aetérnis sédibus præcípias sociári  
 eámque de Ægýpti pártibus ad te reverténtem  
 blande lenitérque suscípias,  
 et ángelos tuos sanctos ei óbviám mittas  
 viámque illi iustítíæ demónstra  
 et portas glóriæ tuæ áperi.  
 Repélle, quæsumus, Dómine,  
 ab ea omnes príncipes tenebrárum  
 et agnósce depósitum fidéle quod tuum est.  
 Súscipe, Dómine, creatúram tuam, non a diis aliénis creátam,  
 sed a te solo Deo vivo et vero,  
 quia non est alius Deus præter te, Dómine,  
 et non est secúndum ópera tua.  
 Lætífica, clementíssime Deus, ánimam servi tui<sup>8</sup> (ancíllæ tuæ) N.,  
 et clarífica eam in multítudine misericórdiæ tuæ;  
 ne memíneris, quæsumus,  
 iniquitátum eius:  
 licet enim peccáverit, tamen te non negávit,  
 sed signo fidei insignítus (insigníta),  
 te, qui ómnia et eum (eam) inter ómnia fecísti, fidéliter adorávit.  
 Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.<sup>9</sup>

R. Amen.

<sup>8</sup> Cf. Ps. 85,8.4.

<sup>9</sup> ASOP 1977, p. 152 et 252 sq. (emend.); Gre, n. 4077; *Eccl. Off.*, f. 57r; PS, p. 184.

Vel:

Diri vúlneris novitáte percúlſi  
 et quodámmodo sauciáti,  
 misericórdiam tuam, mundi Redémptor,  
 flebilibus vóciſus implorámus,  
 ut cari fratris nostri (caræ soróris noſtræ) ánimam  
 ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, reverténtem,  
 blande lenitérque ſuſcípias;  
 et ſi quas illa ex carnáli commoratióne contráxit máculas,  
 tu Deus, sólita bonitáte cleméſter déleas,  
 pie indúlgeas, obliſióni in perpétuum tradas,  
 atque hanc tibi laudem cum céteris redditúram,  
 ſanctórum cœtibus aggregári præcípias.  
 Qui vivis et regnas in ſæcula ſæculórum.<sup>10</sup>

R. Amen.

---

**185.** Deinde corpus defuncti vel defunctæ, ſi expedire videtur, defertur in eccleſiam vel in alium locum aptum, iuxta indicationes in *Ordine exsequiarum OP* datas.

---

**186.** Commendatione expleta, conventus dimitti potest a Priore vel Priorissa his vel ſimilibus verbis:

Eámus nunc in pace,  
 mémores tamen fratris nostri defúncti (soróris noſtræ defúnctæ).

## II. STATIO COMMUNITATIS APUD CORPUS DEFUNCTI

**187.** Sicubi fratre vel ſorore moriente in domo religiosa vel extra domum communitas abest, cum ipsa convenit ad defunctum in loco apto positum ut supra (n. 180), preces ſequentes dicuntur.

### Initium celebrationis

**188.** Corpore allato et ſigno modo conſueto pulſato, fratres vel ſorores circa defunctum vel defunctam congregantur. Prior aut Priorissa vel Cappellanus, veſte convenienti indutus vel induta, ſtat apud corpus communitate adſtante, aqua, thuribulo et libro Ritualis paratis.

---

<sup>10</sup> Gre, n. 4059; GeV, n. 1608; *Eccl. Off.*, f. 57r; cf. PS, p. 185.



Tunc canitur, si statim post expirationem non est cantatum, responsorium Subveníte sancti Dei (n. 171) vel alius cantus aptus.

**189.** Deinde, si forte cereus paschalis prius accensus nondum fuerit, nunc accendi potest, ministro dicente hæc vel similia:

Christus, qui nos de ténebris in admirábile lumen suum vocávit, fratrem nostrum (sorórem nostram) in illam civitátem dedúcat quæ non eget sole neque luna, quam Dei cláritas illúminat, cuius lucérna ipse est Agnus.<sup>11</sup>

Et aspergit aquam benedictam in modum crucis super corpus, vel silenter vel dicens:

Quicúmque baptizáti sumus in Christo Iesu, in morte ipsíus baptizáti sumus. Si complantáti sumus similitúdini mortis eius, simul et resurrectiόνis érimus.<sup>12</sup>

Ac postea, circumiens corpus, id potest etiam thurificare.

**190.** Deinde Prior vel Priorissa aut Cappellanus ad preces invitatus adstantes et post aliquod silentii spatium dicit:

Pio recordatiόνis afféctu, fratres caríssimi (soróres caríssimæ), commemoratióem faciámus fratris nostri (soróris nostræ) N., quem (quam) Dóminus de hoc sæculo ad se vocávit, obsecrántes misericórdiam Dei nostri ut tríbuat ei plácidam et quiétam mansiónem in ætérnum.<sup>13</sup>

Vel:

Súscipe, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ) N. quam de hoc sæculo ad te vocáre dignátus es, ut, absolúta ómnium vínculo peccatórum, quiétis ætérnæ beatitúdine perfruátur et inter sanctos et eléctos tuos in resurrectiόνis glória resuscitári mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>14</sup>

R. Amen.

<sup>11</sup> *1 Petr* 2,9; *Ap* 21,23.

<sup>12</sup> *Rom* 6,3.5; *Rituale Cisterciense* (1998), *Ordo exseq.*, n. 3.

<sup>13</sup> Cf. Gre, n. 1398; 4047; GeV, n. 1607; *Eccl. Off.*, f. 65r; PS, p. 198 emend. (cf. ASOP 1977, p. 152 n. 28); *Ordo exseq. monast.* 1973, n. 28.

<sup>14</sup> Cf. Gre, n. 1400; *Eccl. Off.*, f. 57r; cf. PS, p. 186.

## Psalmodia

**191. Tunc seligi potest psalmus vel pars ipsius inter eos qui infra indicantur:**

**Ant.** Suscípiat te Christus, qui vocávit te: et in sinum Ábrahæ ángeli dedúcant te.

**Ps 114,1-20:** « *In exitu Israel de Ægypto...* ».

Vel:

**Ant.** Chorus angelórum eum (eam) suscípiat, et in sinu Ábrahæ eum (eam) cóllocet: et cum Lázaro quondam páupere ætérrnam hábeat réquiem.

**Ps 113:** « *Laudate, pueri Domini* ».

Vel:

**Ps 116,10 ss.:** « *Credidi, etiam cum locutus sum* ».

Vel:

**Ps 117:** « *Laudate Dominum, omnes gentes* ».

## Preces

**192. Deinde Prior aut Priorissa vel Cappellanus dicit orationem:**

Inclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras,  
quibus misericórdiam tuam súpplíces deprecámur,  
ut ánimam fámuli tui (ancíllæ tuæ) **N.**,  
quam de hoc sáeculo migráre iussísti,  
in pacis ac lucis regióné constítuas,  
et sanctorum tuórum iúbeas esse consórtem.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>15</sup>

**R.** Amen.

**193. Huic orationi pro defuncto adiungi vel etiam præmitti potest sequens oratio pro lugentibus:**

Misericordiárum Pater et Deus totíus consolatiónis,  
qui nos ætérrno amóre proséqueris,

<sup>15</sup> Gre, n. 1403; *Eccl. Off.*, f. 57v; PS, p. 188.

qui umbram mortis in vitæ vertis auróram,  
réspecte, quæsumus, fámulos tuos in tribulatióne geméntes.  
(Esto, Dómine, refúgium nostrum et virtus,  
ut ex huius dolóris ténebris et luctu  
ad præsentia tuæ lucem et pacem elevémur).  
Et quia Fílius tuus Dóminus noster  
mortem nostram moriéndó destrúxit  
et vitam resurgéndó reparávit,  
concéde, quæsumus, ut ad eum sic currámus,  
ut post mortális vitæ cursum,  
ibi aliquándó cum frátribus adunémur,  
ubi omnes lácrimæ ab óculis abstergéntur.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>16</sup>

R. Amen.

Vel oratio Diri vúlneris ut supra, n. 184.

**194.** Tunc cani potest antiphona Salve Regína in nota Ordinis, et postea conventus dimitti potest a Priore vel Priorissa his vel similibus verbis:

Eámus nunc in pace,  
mémores tamen fratris nostri defúncti (soróris nostræ defúntæ).

---

<sup>16</sup> OE, n. 34.

CAPUT VIII  
FORMULARIA MISSARUM  
PRO LITURGIA INFIRMORUM

NOTA PRÆVIA

**195.** Hæc selectio, in fine Ritualis posita, elementa quædam liturgica præbet, orationes præsertim, quæ plerumque ex antiqua nostra traditione deprompta sunt. In hac unica sectione formularia præbentur e 'Missis ritualibus' (*pro Unctione* scilicet *infirmorum* et *pro Viatico*) desumpta necnon ea quæ ad seriem Missarum 'pro variis necessitatibus' (*pro infirmis* scilicet et *pro morientibus*) pertinent.

**196.** Indicationes sacramentum Unctionis respicientes vel Viaticum intra Missam celebrata, inveniuntur supra (nn. 73-76 et 85-87). Formularia vero 'pro infirmis' et 'pro morientibus' complementa sunt Missalis Romani, communitatibus Ordinis vel pro fratrum ministerio præbita; in his igitur adhibendis normæ *Institutionis generalis Missalis Romani*<sup>1</sup> servantur.

**197.** Lectiones sive e *Lectionario* Ritualis Romani<sup>2</sup> sive e textibus in *Ordine Unctionis Infirmorum*<sup>3</sup> propositis in Appendice (I A, pp. 127 sq.) indicantur. Pro opportunitate, lectiones seligi possunt e *Lectionario Missarum propriarum Ordinis Prædicatorum*, nisi forte alii textus infirmo vel adstantibus congruentiores videantur.

**198.** Elementa quædam peculiaria ritus sacramenti Unctionis vel Viatici, necnon et alii textus (orationes, benedictiones finales, etc.) inter hæc formularia non afferuntur, sed ad pertinentia capitula ipsius Ritualis remittitur.

PRO UNCTIONE INFIRMORUM

**199. Ant. ad introitum**

Is 53,4

Infirmitates nostras ipse tulit,  
et dolores nostros ipse portavit.

---

<sup>1</sup> IGMR<sup>3</sup>, nn. 368-378.

<sup>2</sup> LR, pp. 740-748.

<sup>3</sup> OUI, nn. 153-229 et 247-258.

Vel:

Mc 1,40b-41

Dómine, si vis, potes me mundáre.  
Et misértus exténdens manum suam tétigit eum  
et ait illi: « Volo, mundáre! ».

**200.** Pro actu pænitentiali vel pro ‘mutuæ misericordiæ petitione’, indicationes præbentur supra, nn. 57-61.

### 201. Collecta

Deus, qui languóres nostros voluísti ab Unigénito Fílio tuo portári,  
ut infirmitátis et patiéntiæ virtútem osténderes humánæ,  
preces nostras pro frátribus in ægritúdine pósitis  
benígnus exáudi, et præsta  
ut, qui dolóribus, ærúmnis aliísve morbis premúntur,  
et inter eos qui beáti prædicántur se séntiant eléctos  
et Christo pro mundi salúte patiénti se sciant unítos.  
Per Dóminum.<sup>4</sup>

R. Amen.

**202.** Lectiones seliguntur ut in Nota prævia (supra, n. 197) dictum est.

Sacra Unctio post Evangelium et homiliam ministratur, iuxta indicationes supra positas (n. 76). Psalmus vel psalmi quos Rituale Ordinis pro gratiarum actione dicendos proponit (n. 69), in fine Missæ (exempli gratia post communionem) possunt transferri.

### 203. Super oblata

Deus, cuius nútibus vitæ nostræ moménta decúrrunt,  
súscipe preces et hóstias,  
quibus tuam pro frátribus ægrotántibus  
misericórdiam implorámus,  
ut, de quorum perículo metúimus,  
de eórum salúte lætémur.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>5</sup>

R. Amen.

<sup>4</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1146.

<sup>5</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1146; cf. MOP, p. [79].

**204. Præfatio: Iesus pertransiens benefaciendo**

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre,  
nos tibi semper et ubique grátias ágere,  
Pater misericordiárum et Deus fidélis:

quia Iesum Christum Fílium tuum  
Dóminum ac redemptórem nobis dedísti.  
Semper ille misericórdem se osténdit  
erga párvulos et páuperes,  
infírmos et peccatóres  
atque próximum se fecit  
oppréssis et afflíctis.

Verbo et ópere mundo nuntiávit  
te esse Patrem  
omniúmque filiórum tuórum curam habére.

Et ídeo cum Ángelis et Sanctis univérsis  
te collaudámus et benedícimus  
hymnúmque glóriæ tuæ cánimus,  
sine fine dicéntes.<sup>6</sup>

**205. Ant. ad communionem**

Col 1,24

Adímpleo quæ desunt passiónum Christi in carne mea,  
pro córpore eius, quod est Ecclésia.<sup>7</sup>

Vel:

Ap 7,17

Agnus, qui in médio throni est, pascet illos  
et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum,  
et abstérget Deus omnem lácrimam ex óculis eórum.

**206. Post communionem infirmi atque adstantium, psalmus vel aliud laudis canticum aut hymnus proferri potest,<sup>8</sup> exempli gratia psalmus inter eos selectus quos Rituale Ordinis pro gratiarum actione dicendos proponit (supra, n. 69).**

**207. Post communionem**

Omnípotens sempitérne Deus,  
qui fragilitátem humánæ condiciónis

<sup>6</sup> MR<sup>3</sup>, p. 702.

<sup>7</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1147.

<sup>8</sup> Cf. IGMR<sup>3</sup>, n. 164.

infúsa virtútis tuæ dignatióne confírmas  
 ut salutáribus remédiis córpora nostra et membra vegeténtur,  
 super hunc fámulum tuum **N.** fratrem nostrum  
 (hanc fámulam tuam **N.** sorórem nostram)  
 propítius inténde,  
 ut omni necessitáte corpóreæ infirmitátis exclúsa,  
 grátia in eo (ea) prístinæ sanitátis perfécta reparétur.  
 Per Christum Dóminum nostrum.<sup>9</sup>

**R.** Amen.

Benedictionis formula ut supra, n. 72.

### AD MINISTRANDUM VIATICUM

#### 208. Ant. ad introitum

cf. Ps 77,23-25

Iánuas cæli apéruit Dóminus  
 et pluit illis manna ad manducándum  
 et panem cæli dedit eis:  
 panem angelórum manducávit homo.

Vel:

Io 6,51

Ego sum panis vivus, qui de cælo descénde:  
 si quis manducáverit ex hoc pane,  
 vivet in ætérnum.

**209. Pro actu pænitentiali vel pro 'mutuæ misericordiæ petitione', indicatio-  
 nes præbentur supra, nn. 95-99.**

#### 210. Collecta

Deus, qui húmáno géneri  
 et salutis remédium et vitæ ætérnæ præmia contulísti,  
 consérva fámulo tuo (fámulæ tuæ) tuárum dona virtútum  
 et concéde ut medélam tuam non solum in córpore,  
 sed étiam in ánima séntiat.  
 Per Dóminum.<sup>10</sup>

**R.** Amen.

<sup>9</sup> Cf. ASOP 1977, p. 157; *Eccl. Off.*, f. 56r; PS, p. 166.

<sup>10</sup> *Eccl. Off.*, f. 56r; PS, p. 166.

**211. Lectiones seliguntur ut supra (n. 85) dictum est.**

Loco symboli, confessio fidei ab infirmo renovari potest (n. 101). Sequitur, si opportunum videtur, oratio universalis (n. 102).

**212. Super oblata**

Sacrificium nostrum, Pater sancte, intuere benígnus,  
ut Agnum tibi paschálem repræséntet,  
cuius pássio paradísi iánuas reserávit,  
et fámulum tuum (fámulam tuam) **N.**  
in ætérnum munus per grátiam tuam introdúcat.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>11</sup>

**R.** Amen.

**213. Præfatio: Viaticum ad Dei contemplationem**

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,  
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,  
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui manna de cælis præstito nutrivísti pópulum per desértum,  
nec tamen illum a morte líberum voluísti,  
ut solum Christum nobis tráderes panem vivum  
vitæque nobis alimóniam immortalis.

Ipse namque itíneris nostri  
ad tui contemplatióem se viáticum destinávit:  
in témporis huius tribulatióne solácium,  
venerándum cæléstis convívii sacraméntum,  
et germen glóriæ absque fine manéntis.

Adventúrum ígitur Dóminum fidénti gáudio præstolántes,  
te cum ángelis et sanctis páriter collaudámus,  
tuæque maiestáti hýmnum dícimus,  
sine cessatióne clamántes.<sup>12</sup>

**214. Ant. ad communionem**

Io 6,54

« Qui mandúcat meam carnem  
et bibit meum sánguinem,  
habet vitam ætérnam;  
et ego resuscitábo eum in novíssimo die ».

<sup>11</sup> MR<sup>3</sup>, p. 988.

<sup>12</sup> MA, p. 919.



Vel:

1 Cor 11,26

Quotiescúmque manducábitis panem hunc  
et cálicem bibétis,  
mortem Dómini annuntiátis,  
donec véniat.

**215.** Sacerdos communionem dat infirmo formulam Viatici adhibens (supra, n. 105). Deinde psalmus vel aliud laudis canticum aut hymnus proferri potest,<sup>13</sup> exempli gratia psalmus inter eos selectus quos Rituale Ordinis pro gratiarum actione dicendos proponit (supra, n. 69).

### 216. Post communionem

Deus, cuius Fílius nobis est via, véritas et vita,  
réspice cleménter fámulum tuum (fámulam tuam) **N.**  
et præsta ut, tuis promissiõnibus se commíttens  
et Fílii tui Córporis et Sánguine recreátus (recreáta),  
ad regnum tuum progrediátur in pace.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>14</sup>

**R.** Amen.

Vel:

Dómine, qui es salus ætérna in te credéntium,  
præsta, quæsumus, ut fámulus tuus (fámula tua) **N.**,  
cælésti pane potúque reféctus (refécta),  
in regnum lúminis et vitæ secúrus (secúra) pervéniat.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>15</sup>

**R.** Amen.

**217.** In fine Missæ, sacerdos formulam peculiarem ad benedictionem imperiendam adhibere potest (n. 108) eique formulam indulgentiæ plenariæ in articulo mortis addere, quæ incipit a verbis Per sacrosáncta (n. 99).<sup>16</sup>

<sup>13</sup> Cf. IGMR<sup>3</sup>, n. 164.

<sup>14</sup> OUI, n. 114.

<sup>15</sup> OUI, n. 259.

<sup>16</sup> Cf. OUI, n. 99.

## PRO INFIRMIS

**218. Ant. ad introitum**

Ps 6,34

Miserére mei, Dómine, quóniam infirmus sum;  
sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea,  
et ánima mea turbáta est valde.<sup>17</sup>

Vel:

Cf. Is 53,4

Vere languóres nostros Dóminus tulit,  
et dolóres nostros ipse portávit.<sup>18</sup>

**219. Collecta**

Deus, qui factúráe tuæ semper pio domináris afféctu,  
inclína aurem tuam supplicatióibus nostris,  
et fámulum tuum **N.** fratrem nostrum  
(fámulam tuam **N.** sorórem nostram)  
ex advérta valetúidine córporis laborántem placátus réspice  
et vísitá in salutári tuo,  
ut cæléstis grátiaé medicínam accípiat.  
Per Dóminum.<sup>19</sup>

R. Amen.

**220. Lectiones seliguntur ut supra (n. 85) dictum est.****221. Super oblata**

Deus, cuius nútibus vitæ nostræ moménta decúrrunt,  
súscipe preces et hóstias,  
quibus tuam pro frátribus ægrotántibus  
misericórdiam implorámus,  
ut, de quorum perículo metúimus,  
de eórum salúte lætémur.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>20</sup>

R. Amen.

---

<sup>17</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1146.

<sup>18</sup> *Ibid.*

<sup>19</sup> ASOP 1977, p. 156; *Eccl. Off.*, f. 56r; PS, p. 166.

<sup>20</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1146; cf. MOP, p. [79].

**222. Præfatio: Iesus pertransiens benefaciendo**

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre,  
nos tibi semper et ubique grätias ágere,  
Pater misericordiárum et Deus fidélis:

Quia Iesum Christum Fílium tuum  
Dóminum ac redemptórem nobis dedísti.

Semper ille misericórdem se osténdit  
erga párvulos et páuperes,  
infírmos et peccatóres  
atque próximum se fecit  
oppréssis et afflíctis.

Verbo et ópere mundo nuntiávit  
te esse Patrem  
omniúmque filiórum tuórum curam habére.

Et ídeo cum Ángelis et Sanctis univérsis  
te collaudámus et benedícimus,  
hymnúmque glóriæ tuæ cánimus,  
sine fine dicéntes.<sup>21</sup>

**223. Ant. ad communionem**

Col 1,24

Adímpleo quæ desunt passiónum Christi in carne mea,  
pro córpore eius, quod est Ecclésia.<sup>22</sup>

Vel:

Ap 7,17

Agnus, qui in médio throni est, pascet illos  
et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum,  
et abstérget Deus omnem lácrimam ex óculis eórum.

**224. Post communionem**

Deus, infirmitátis humánæ singuláre præsidium,  
auxílii tui super infírmum fratrem nostrum **N.**  
(infírmam sorórem nostram **N.**)  
osténde virtútem,  
ut, ope misericórdiæ tuæ adiútus (adiúta),  
Ecclésiæ tuæ sanctæ incólumis repræsentári mereátur.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>23</sup>

**R.** Amen.

<sup>21</sup> MR<sup>3</sup>, p. 702.

<sup>22</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1147.

<sup>23</sup> ASOP 1977, p.156; *Eccl. Off.*, f. 56r; PS, p. 160.; cf. MA, p. 1095.

Vel:

Deus, qui humanae redemptionis opus  
per Unigeniti tui paschale mysterium implevisti,  
concede propitius,  
ut, qui Christi mortem et resurrectionem  
in sacramentorum signis annuntiamus fidenter,  
salvationis tuae continuum experiamur augmentum.  
Per Christum Dominum nostrum.<sup>24</sup>

R. Amen.

Benedictionis formula ut supra, n. 108.

## PRO MORIENTIBUS

### 225. Ant. ad introitum

Rom 14,7-8

Nemo nostrum sibi vivit et nemo sibi moritur;  
sive enim vivimus, Domino vivimus,  
sive morimur, Domino morimur.  
Sive ergo vivimus sive morimur, Domini sumus.<sup>25</sup>

Vel:

Cf. Is 53,4

Vere languores nostros Dominus tulit,  
et dolores nostros ipse portavit.<sup>26</sup>

### 226. Collecta

Conservator animarum, Deus,  
qui quos diligis, corripis:  
te invocamus, ut medelam tuam conferre digneris  
in animam famuli tui (famulae tuae),  
qui (quae) in corpore suo patitur stimulos infirmitatum;  
et da ei, ut in hora exitus sui  
tibi Creatori per manus sanctorum Angelorum  
representari mereatur.  
Per Dominum.<sup>27</sup>

R. Amen.

<sup>24</sup> OUI, p. 73, n. 234.

<sup>25</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1147.

<sup>26</sup> *Ibid.*

<sup>27</sup> MOP, p. [79]; cf. PS, p. 174.

Vel:

Omnípotens et miséricors Deus,  
 qui humano géneri, per ipsum mortis institútum,  
 æternæ vitæ áditum misericórditer reserásti,  
 respice propítius fámulum tuum (fámulam tuam)  
 extrémó agóne laborántem,  
 ut, consociátus (consociáta) Fílii tui passióni  
 et eius sángine signátus (signáta),  
 tibi váleat immaculátus (immaculáta) præsentári.  
 Per Dóminum.<sup>28</sup>

R. Amen.

**227. Lectiones seliguntur ut supra (n. 85) dictum est.**

**228. Super oblata**

Súscipe hóstiam, Dómine, quam tibi offérimus  
 pro fámulo tuo (fámulæ tuæ) gráviter decumbénte,  
 et dona illi suórum peccatórum véniam:  
 ut per hæc, quæ sústinet, flagélla,  
 mereátur perveníre ad regnum glóriæ tuæ.  
 Per Christum Dóminum nostrum.<sup>29</sup>

R. Amen.

**229. Præfatio: Iesus nos invitat ad sua persecuenda vestigia**

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,  
 nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,  
 Dómine, sancte Pater, omnípotens æterne Deus  
 per Christum Dóminum nostrum.

Qui passiónes summa in nos dilectióne sustínuit,  
 ut et exémplo ad sua nos invitáret persecuenda vestígia  
 et iter lucis nobis ac securitátis osténderet,  
 quo dolóris penítius inspicerémus mortísque mystérium,  
 sanctificaréntur angóres et futúra glória pararétur.

Sanans enim infirmitátes benígnus et morbos,  
 ipse regnum Dei nuntiávit homínibus advenísse;  
 ipse suæ torménta obtulit passiónis,

<sup>28</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1147.

<sup>29</sup> MOP, p. [79].

ut ab omni nos iniquitate redimeret;  
ipse per hanc semitam  
voluit in gloriam Patris intrare.

Unde te, Deus, per illum glorificamus in laudibus,  
et cum angelis et sanctis magnificamus in canticis,  
una voce cum eis sine fine clamantes.<sup>30</sup>

**230. Ant. ad communionem**

Io 6,50

Hic est panis de caelo descendens,  
ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.

Vel:

Ap 21,4

Absterget Deus omnem lacrimam ex oculis eorum,  
et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor  
neque dolor erit ultra, quia prima abiierunt.

**231. Post communionem**

Satiati, Domine, muneribus sacris et de pietate confisi,  
te humiliter deprecamur, ut misereri digneris  
animae famuli tui (famulae tuae):  
ne praevaleret adversus eam inimicus in hora mortis eius,  
sed transitum mereatur ad vitam perpetuam.  
Per Christum Dominum nostrum.<sup>31</sup>

R. Amen.

Vel:

Per huius, Domine, sacramenti virtutem,  
famulum tuum (famulam tuam)  
dignare clementer tua gratia sustinere,  
ut in hora mortis contra se inimicum praevalere non videat,  
sed cum Angelis tuis transitum habere mereatur ad vitam.  
Per Christum Dominum nostrum.<sup>32</sup>

R. Amen.

Benedictionis formula ut supra, n. 108.

<sup>30</sup> MA, p. 1095 et 1093.

<sup>31</sup> MOP, p. [79].

<sup>32</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1148.

# APPENDIX





# I

## LECTIONES BIBILICÆ

### A) PRO INFIRMIS

1. Quidam textus hic infra indicantur inter eos qui in *Ordine Unctionis Infirmorum*<sup>1</sup> et in *Lectionario Missalis Romani*<sup>2</sup> proponuntur. In *Missa* pro infirmis vel in visitatione infirmorum vel in celebratione Unctionis infirmorum vel etiam in oratione pro infirmis, iis praesentibus vel absentibus, selectio fiat secundum opportunitates personarum et loci, attento statu corporali et spirituali infirmi aut infirmorum pro quibus lectiones adhibentur.

#### Lectiones e Vetere Testamento

2 Reg 20,1-6                      Vidi lacrimas tuas et ecce sanavi te.  
Is 53,1-5.10-11                Vere languores nostros ipse tulit.

#### Lectiones e Novo Testamento

Act 28,7-10                      Omnes qui habebant infirmitates curabantur.  
2 Cor 4,10-18                    Vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.  
Iac 5,13-16                        Oratio fidei salvabit infirmum.

#### Psalmi responsorii

Ps 24,15-16.17-                De necessitatibus meis erue me.  
18.20-21 (R.: 16a)  
Ps 101,3.24-25.19-21        Domine, exaudi orationem meam.  
(R.: 2)  
Is 38,10.11.12a-d.16        Sana me, Domine, et vivifica me.  
(R.: 16c)

---

<sup>1</sup> OUI, nn. 153-229 et 247-258.

<sup>2</sup> LR, pp. 740-748.

## Evangelia

Mt 8,14-17 (V: Mt 8,17)	Ipse infirmitates nostras accepit.
Mc 16,15-20 (V: 2 Cor 1,3b-4a)	Super eos manus imponent et bene habebunt.
Lc 22,39-43 (V: Mt 8,17)	Pater, non mea voluntas, sed tua fiat.
Io 15,1-8 (V: Col 1,24b)	Purgabit eum, ut fructum plus afferat.

## B) PRO COMMENDATIONE MORIENTIUM

2. Hic infra indicantur, opportunis sectionibus distributæ, lectiones biblicæ ab *Ordine Unctionis Infirmorum* variis locis (nn. 144, 156, 157, 168, 171, 173, 181, 182, 220, 221) propositæ: inter eas eligere expedit textus qui pro commendatione morientis aptiores videntur.

## Lectiones e Vetere Testamento

Iob 7,12-21	Planctus Iob: ad quid dolor?
Iob 19,23-27a	Clamor spei Iob.
Is 35,3-4.6c-7.10	Nolite timere: Deus venit salvans.

## Lectiones e Novo Testamento

Rm 8,31b-35.37.39	Quis nos separabit a caritate Christi?
1 Cor 15,1-4	Salus ex fide in Christum mortuum ac resuscitatum.
1 Cor 15,12-20	Cum Christo resurgemus.
2 Cor 5,1.6-10	Ad patriam ambulamus in fide.
1 Io 4,16	Deus caritas est.
Ap 21,1-7	Absterget Deus omnem lacrimam .
Ap 22,17.20-21	Veni, Domine Iesu!

## Psalmi responsorii

Ps 22	Et si ambulavero in valle umbræ mortis, non timebo mala.
Ps 24,1.4b-11	Secundum misericordiam tuam memento mei tu
Ps 90	Cum ipso sum in tribulatione.
Ps 113,1-8	Exitus de terra exsilii.

Ps 114,3-5	E vinculis mortis libera me.
Ps 120,1-4	Auxilium meum a Domino.
Ps 122	Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.

## Evangelia

Mt 25,1-13	« Vigilate, quia nescitis diem neque horam ».
Mc 15,33-37	Mors Iesu.
Mc 16,1-8	« Iesus, qui crucifixus erat, resurrexit ».
Lc 22,39-46	Iesus agonizans in horto Olivarum.
Lc 23,42-43	Iesus in cruce bono latroni promittit paradisum.
Lc 24,1-8	« Quid quæritis viventem cum mortuis? ».
Io 6,35-40	« Hæc est voluntas Patris, ut fideles resurgant ».
Io 6,54-59	« Qui manducat hunc panem, vivet in æternum ».
Io 14,1-6.23.27	Iesus est via, veritas et vita.

## Passio Domini

3. Possunt etiam legi lectiones ex historia de Passione Domini pro opportunitate, ut in dominica de Passione (*Lectionarium*, I, pp. 613-644), vel in feria VI in Passione Domini (*ibid.* I, pp. 662-667), vel in Missa votiva «De Mysterio S. Crucis» (*ibid.* III, pp. 811-820), vel etiam ut sequitur:<sup>3</sup>

Mt 26,36-46	« Si non potest hic calix transire, fiat voluntas tua ».
Mc 15,33-39; 16,1-6	Mors Iesu et nuntium resurrectionis.
Lc 23,44-49; 24,1-6a	Mors Iesu et nuntium resurrectionis.
Lc 24,13-35	« Nonne hæc oportuit pati Christum, et intrare in gloriam suam? »
Io 20,1-10	Petrus et Ioannes ad sepulcrum. <sup>4</sup>

<sup>3</sup> OUI, n. 224.

<sup>4</sup> Cf. OUI, nn. 225-229.

## II

## ORATIONES ET BENEDICTIONES

## A) ORATIONES SUPER PSALMOS

*Ps 6: Domine, ne in furore*

Deus, misericórdiæ atque pietátis amátor,  
qui vitam largíris et ímperas morti,  
Ecclésiám tuam réspice tot vulnéribus sauciátam  
eámque in Fílii tui resurrectione restáura,  
ut novo te váleat magnificáre præcónio.

*Ps 24: Ad te, Domine, levavi*

Custódi, Dómine, ánimas nostras ad te levátas  
et érue nos in dulcédine tua,  
ut non confundámur invocántes te.  
Delícta iuventútis et ignorántiæ ne memíneris,  
sed nostrum memor esto secúndum misericórdiam tuam.

*Ps 27: Ad te, Domine, clamabo*

Dómine Deus,  
qui unicuíque tribuis iuxta ópera sua,  
tu vocem Christi tui exaudísti  
eiúsque carnem in die resurrectionis refluere tribuísti:  
preces nostras cleménte exáudi  
et Ecclésiæ tuæ tribue  
ut in rectitúdine vitæ ámbulet pacífice  
et in gratiárum actióne pro ópere mánuum tuárum  
cum gáudio perseveret.

*Ps 29: Exaltabo te, Domine*

Deus, vitæ magnífice largítor et magnificéntius restitútor,  
qui Fílium tuum ab ínferis eduxísti,  
ne abscondas fáciem tuam a nobis  
nec in púlverem ánimas nostras cónteri patiáris,  
ut resurgéntes cum Christo  
planctum nostrum mutémus in gáudium.

**Ps 33:** *Benedicam Dominum*

Inquiréntes te, Dómine, dignánte exáudi  
et quia iuxta es his qui recto sunt corde,  
aurem tuam ad contritióem nostri spíritus áperi  
atque pace tua, quæ exsúperat omnem sensum,  
córpora nostra páriter et corda pacífica.

**Ps 41:** *Quemadmodum desiderat cervus*

Dómine Deus, fons aquæ saliéntis in vitam,  
qui nos per undas salutáres ex abýsso peccáti  
ad abýssum misericórdiæ vocásti,  
ne obliviscáris, quæsumus, tristítias huius exsílíi  
nec sitim nostram ad te inexplétam relínquas,  
sed da nobis consolatióem pietátis tuæ,  
ut de Verbo tuo ineffabíliter satiáti,  
ad montem sanctum tuum perveniámus lætántes.

**Ps 62:** *Deus, Deus meus es tu*

Deus, quem sitit ánima nostra et cor nostrum desíderat,  
fíliis tuis, qui te quærunt  
levántes manus in oblatiÓe et voces in laude,  
concéde ut quærant caritátem tuam usque ad vitæ contéptum  
et in circúitu mensæ tuæ suavíssimis repleántur munéribus.

**Ps 70:** *In te, Domine, speravi*

Dómine Deus vivéntium,  
qui iuventútem perénnem donas per regeneratiÓnis lavácrum  
et pane lætíficas singulári,  
ne derelínquas nos in témpore senectútis,  
ut in rebus próspéris et in advérsis  
tuæ voluntáti concórdes,  
celebrémus psaltério fidelitátem tuam.

**Ps 85:** *Inclina, Domine*

Deus misericórdiæ et bonitátis,  
qui Christum, summum pontíficem nostrum,  
in die tribulatiÓnis suæ clamántem ad te,  
pro sua reveréntia exaudísti ut vínceret mortem,  
exáudi oratiÓnes pópuli tui,  
ut qui de tuæ pietátis iam experiménto lætámur,

nóminis tui iúgiter repleámur amóre  
et simus certióra homínibus tuæ testimónia sanctitátis,  
ut eos ad tuam glóriam celebrándam feliciter perducámus.

*Ps 89: Domine, refugium*

Deus, ante exórdium vivens diérum,  
qui nos subsistere tantæ reos páteris pravitátis  
nobisque donas ultro dies et annos  
ut cor ad sapiéntiam inducámus,  
fac nos tandem tibi sic obsequéntes amóre  
ut indústria mánuum nostrárum  
agnóscat ubíque et semper decláret tuórum digitórum vestígia,  
donec vultus tui dulcédine perfruámur.

*Ps 101: Domine, exaudi...et clamor*

Dómine, qui tamquam in sanctis hábitans ædificásti Sion,  
quorum in córdibus requiécis,  
quæsumus ut tua semper maiéstas  
eórum in opéribus demonstrétur  
et in virtútibus semper declarétur.

*Ps 114: Dilexi, quoniam exaudit Dominus*

Omnípotens et miséricors Deus,  
qui per passiónem et resurrectiónem Fílii tui  
liberásti nos a néxibus mortis  
et ab angústis inférni solvísti,  
éripe, quæsumus, in huius peregrinatiónis procéssu,  
óculos nostros a lácrimis et pedes nostros a lapsu,  
ut ambulémus coram te, et ad réquiem perveniámus perféctam.

*Ps 122: Ad te levavi oculos meos*

Dómine Iesu Christe, qui vigilántibus servis  
ipse cum redíeris ministrábis,  
doce nos, quæsumus, ad te leváre óculos nostros  
et levíssima quæque vestígia mánuum tuárum agnóscere,  
ut tuum iúgiter præstolémur advéntum  
et lucérnæ nostræ in domo tua novo lucéscant spléndore.

Ps 142: *Domine, exaudi...auribus*

Dómine Iesu Christe, qui resúrgens ex mórtuis  
audítam fecísti mane misericórdiam tuam  
et illuminásti sedéntes in ténebris novæ iucunditátis auróra,  
non intres, quæsumus, in iudícium cum fámulis tuis,  
quando nobis mors tuum pandébit occúrsum,  
sed Spíritus tuus bonus in terram rectam nos unánimes ducat.

## B) BENEDICTIONES PRO INFIRMIS

### 1

Fides in Deum, Patrem nostrum,  
in Iesum Salvatórem  
et in Spíritum vivificántem,  
fortes nos fáciat et serénos.<sup>5</sup>

### 2

Dóminus Iesus Christus apud te sit, ut te deféndat.

R. Amen.

Post te sit, ut te custódiat.

R. Amen.

Intra te sit, ut te dedúcat.

R. Amen.

Super te sit, ut te benedícat.  
Qui cum Patre et Spíritu Sancto  
vivit et regnat in sǎcula sǎculórum.<sup>6</sup>

R. Amen.

(Et benedíctio Dei omnipoténtis,  
Patris et Fílii ☩ et Spíritus Sancti,  
descéndat super vos, et máneat semper.

R. Amen.)

<sup>5</sup> *Rit. Ambr.*, cf. "Ambrosius", 53/6, nov.-dic. 1977, p. 484.

<sup>6</sup> ASOP 1977, p. 151; cf. PRG II, p. 254; cf. OUI, n. 237.

## 3

Benédicat te Deus Pater.

R. Amen.

Sanet te Deus Fílius.

R. Amen.

Illúminet te Spíritus Sanctus.

R. Amen.

Corpus tuum custódiat et ánimam tuam salvet.

R. Amen.

Cor tuum illústret et te ad supérnam vitam perdúcat.

R. Amen.

(Et vos omnes, qui hic simul adéstis,  
benedícat omnípotens Deus,  
Pater et Fílius ✠ et Spíritus Sanctus.

R. Amen.)<sup>7</sup>

---

<sup>7</sup> OUI, n. 79.



### III

## TEXTUS PRO COMMENDATIONE MORIENTIUM

### A) FORMULÆ BREVES

Formulæ breves morienti suggerendæ

1. *Ordo unctionis infirmorum* (nn. 139 et 153) varias proponit orationes quibus moriens adhuc conscius roboretur, atque Christo eiusque mysterio adhæreat et ab eo auxilium impetret.

Formulæ breves in Rituali Romano traditæ hic in variis sectionibus distribuuntur, quo commodius a Celebrante vel ab adstantibus seligantur.

#### a) *Professio fidei*

- Omnis qui credit in Fílium, habet vitam ætérnam (Io 6,40).
- Quis nos separábit a caritaté Christi? (Rm 8,35).
- Sive vívimus sive mórimur, Dómini sumus (Rm 14,8).
- Habémus domum ætérnam in cælis (2 Cor 5,1).
- Semper cum Dómino érimus (1 Th 4,17).
- Vidébimus Deum sícuti est (1 Io 3,2).
- Transívimus de morte in vitam, quóniam dilígimus fratres (1 Io 3,14).

#### b) *Supplicationes infirmi*

- Ad te, Dómine, levávi ánimam meam (Ps 24,1).
- Dóminus illuminátio mea et salus mea (Ps 26,1).
- Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium (Ps 26,13).
- Sitívit ánima mea ad Deum vivum (Ps 41,3).
- Si ambulávero in valle umbræ mortis, non timébo mala, quóniam tu mecum es (Ps 22,4).

#### c) *Verba Christi*

- Veníte, benedícti Patris mei, dixit Dóminus Iesus, possidéte parátum vobis regnum (Mt 25,34).
- Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradíso, dixit Dóminus Iesus (Lc 23,43).
- In domo Patris mei mansiónes multæ sunt, dixit Dóminus Iesus (Io 14,2).

- Dixit Dóminus Iesus: Vado paráre vobis locum, et accípiam vos ad meípsum (Io 14,2-3).
- Volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, dixit Dóminus Iesus (Io 17,24).

d) *Preces breves*

- In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum (Ps 30,6a).
- Dómine Iesu, súscipe spíritum meum (Act 7,59).
- Sancta María, ora pro me.
- Sancte Ioseph, ora pro me.
- Iesu, María, Ioseph, astáte mihi in extrémó agóne.
- Tribulatiónem et dolórem invéni, et nomen Dómini invocávi (Ps 114,3-4).
- Turris fortíssima nomen Dómini (Prov 18,10): in ipso sperávi, et adiútus sum (Ps 27,7).<sup>8</sup>

## B) LITANIÆ SANCTORUM

Kýrie, eléison	Kýrie, eléison
Christe, eléison	Christe, eléison
Kýrie, eléison	Kýrie, eléison
Pater de cælis, Deus	miserére ei
Fili, Redémptor mundi, Deus,	miserére ei
Spíritus Sancte, Deus,	miserére ei
Sancta Trínitas, unus Deus,	miserére ei
Sancta María, Mater Dei,	ora pro eo (ea)
Sancti Míchael, Gábriel, Ráphael,	oráte pro eo (ea)
Omnes sancti Ángeli et Archángeli	oráte pro eo (ea)
Sancte Ioánnes Baptísta	ora pro eo (ea)
Sancte Ioseph	ora pro eo (ea)
Omnes sancti patriárchæ et prophétæ	oráte pro eo (ea)
Sancti Petre et Paule	oráte pro eo (ea)
Sancte Andréas	ora pro eo (ea)
Sancte Ioánnes	ora pro eo (ea)

<sup>8</sup> Cf. BBI, p. 118.

Sancta María Magdaléna	ora pro eo (ea)
Omnes sancti discipuli Dómini	oráte pro eo (ea)
Omnes sancti Innocéntes	oráte pro eo (ea)
Sancti Stéphane et Laurénti	oráte pro eo (ea)
Sancti Ignáti et Polycárpe	oráte pro eo (ea)
Sancti Cosma et Damiáne	oráte pro eo (ea)
Sanctæ Perpétua et Felícitas	oráte pro eo (ea)
Sanctæ Agnes et Lúcia	oráte pro eo (ea)
Sancte Petre de Veróna	ora pro eo (ea)
Omnes sancti mártires	oráte pro eo (ea)
Sancte Gregóri	ora pro eo (ea)
Sancte Ambrósi	ora pro eo (ea)
Sancte Hierónyme	ora pro eo (ea)
Sancte Augustíne	ora pro eo (ea)
Sancti Athanási et Basíli	oráte pro eo (ea)
Sancti Antóni et Martíne	oráte pro eo (ea)
Sancti Benedícete et Bernárde	oráte pro eo (ea)
Sancte Francísce	ora pro eo (ea)
Sancte Pater Domínice	ora pro eo (ea)
Sancte Thomas de Aquíno	ora pro eo (ea)
Sancte Albérte	ora pro eo (ea)
Sancte Martíne de Porres	ora pro eo (ea)
Sancte Ignáti de Loyóla et Francísce Xavier	oráte pro eo (ea)
Sancte Camílle de Lélis	ora pro eo (ea)
Sancte Ioánnes Bosco	ora pro eo (ea)
Sancta Margaríta de Hungaríá	ora pro eo (ea)
Sancta Catharína Senénsis	ora pro eo (ea)
Sancta Rosa de Lima	ora pro eo (ea)
Sancta Catharína de Ricci	ora pro eo (ea)
Sancta Therésia de Ávila	ora pro eo (ea)
Sancti et sanctæ Dei	oráte pro eo (ea)

Christe, qui in hunc mundum venísti,	te rogámus, audi nos
Christe, qui peccatóribus miseréris,	te rogámus, audi nos
Christe, qui in Gethsémani agonía es contristátus,	te rogámus, audi nos
Christe, qui passus es et crucifíxus,	te rogámus, audi nos
Christe, qui mórtuus es ut vitam habeámus	te rogámus, audi nos
Christe, qui expértus es siléntium sepúlcri	te rogámus, audi nos
Christe, qui mortem vincens resurrexísti,	te rogámus, audi nos

Christe, qui ad glóriam Patris ascéndisti,	te rogámus, audi nos
Christe, qui nobis Paráclitum misísti,	te rogámus, audi nos
Christe, qui es Pastor bonus,	te rogámus, audi nos
Christe, qui claritáte vultus tui nos facis exsultáre,	te rogámus, audi nos
Christe, qui omnes peccatóres vis recipere in splendórem Paradísi,	te rogámus, audi nos
Christe, qui fratrem nostrum (sorórem nostram) <b>N.</b> vocásti ad te sequéndum per vias Evangélii,	te rogámus, audi nos
Christe, qui eum (eam) vocásti ad serviéndum tibi in apostólica vita et in communitáte nostra,	te rogámus, audi nos
Christe, qui eum (eam) suávi dilectióne es prosecútus,	te rogámus, audi nos
Christe, qui eum (eam) invítas ad Deum vidéndum fácie ad fáciem,	te rogámus, audi nos
Christe, qui nos omnes vocas in regnum Dei,	te rogámus, audi nos
Iesu, Fili Dei vivi	te rogámus, audi nos
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,	parce ei, Dómine
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,	líbera eum (eam), Dómine
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,	miserére ei, Dómine
Kýrie, eléison	Kýrie, eléison
Christe, eléison	Christe, eléison
Kýrie, eléison	Kýrie, eléison
Pater noster, etc	

V *Salvum (Salvam) fac servum tuum (ancíllam tuam).*

R. *Deus meus, sperántem in te.*

V *Esto ei, Dómine, turris fortitúdinis.*

R. *A fácie inimíci.*

V *Dómine, exáudi oratiónem meam.*

R. *Et clamor meus ad te véniat.*

*Deinde qui præest dicit orationem:*

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, conservátor animárum,  
 qui, quos díligis, córripis,  
 et quos récipis, pie ad emendatiónem coérces:  
 te invocámus, Dómine, ut fámulo tuo, qui (fámulæ tuæ, quæ)  
 in córpore pátitur membrórum debilitátem,  
 grátiam tuam conférre dignéris,  
 ut in hora éxitus sui de córpore,  
 absque mortális peccáti mácula,  
 tibi Datóri próprio per manus sanctórum Angelórum tuórum  
 eius ánima repræsentári mereátur.  
 Per Christum Dóminum nostrum.<sup>9</sup>

R. Amen.

Clementíssima Virgo Dei Génatrix María,  
 mæréntium piíssima consolátrix,  
 fratris nostri (soróris nostræ) N. spíritum  
 Fílio suo comméndet,  
 ut hoc matérno intervéntu  
 terróres mortis non tímeat,  
 sed desiderátam cæléstis pátriæ mansiónem,  
 ea cómite, lætus (læta) ádeat.<sup>10</sup>

R. Amen.

<sup>9</sup> Gre, n. 2794; *Sacr. Fuld.*, ed. G. Richter - A. Schönfelder, Fulda 1921, rist. London 1980, n. 2455; *Eccl. Off.*, f. 56v; PS, p. 174.

<sup>10</sup> Cf. PS, n. 179.

## C) ALII TEXTUS

## Oratio

Orémus.

Misericórdiam tuam, Dómine sancte,  
Pater omnipotens, ætérne Deus,  
pietátis afféctu pro áliis rogáre cógimur,  
qui pro nostris supplicáre peccátis nequáquam suffícimus.  
Tamen, de tua confísi gratuíta pietáte et sólita benignitáte,  
cleméntiam tuam depóscimus  
ut ánimam servi tui (ancíllæ tuæ) **N.** ad te reverténtem  
cum pietáte suscípías.  
Adsit ei Ángelus testaménti tui, Míchael;  
et per manus sanctórum Angelórum  
inter sanctos et eléctos tuos  
in sínibus Ábrahæ, Ísaac et Iacob patriarchárum tuórum,  
eam collocáre dignéris:  
quátenus liberáta de princípibus tenebrárum et de locis pœnárum,  
nullis iam primævæ nativitátis vel ignorántiæ  
aut própriæ iniquitátis seu fragilitátis confundátur erróribus,  
sed pótius agnoscátur a tuis,  
et sanctæ beatitúdinis réquie perfruátur;  
atque cum magni iudícii dies advénerit,  
inter sanctos et eléctos tuos resuscitátus (resuscitáta),  
glória maniféstæ contemplatiónis tuæ perpétuo satiétur.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>11</sup>

**R.** Amen.

<sup>11</sup> ASOP 1977, p. 152; Gre, n. 4071; *Eccl. Off.*, ff. 56r-57r; PS, p. 181.

## Sequentia

[O] dulcis frater, si recedis,  
cor tuum non dóleat,  
sed quod placére Deo credis,  
hoc et tibi pláceat.

Quis dolet si pérícula  
maris evádit cítius?  
Quis, evádens in tábula,  
vult esse portu lóngius?

Fratres cuncti qui sunt iuncti  
beáto Domínico  
cum vidébunt te, gaudébunt  
et occurrunt ílico.

Exsultábunt quod liberátus  
de tanto naufrágio,  
eórum sis associátus  
felíci collégio.

Órdinis observátio  
te ducet ad hunc éxitum  
et pia Christi pássio  
quæ vincit omne méritum.

Certus esto quod sint præsto  
angélici spíritus  
ut te portent et confórtent  
hora tui tránsitus.

Nec tibi Mater pietátis  
sua cláudet víscera,  
sed tuis orans pro peccátis  
áderit opífera.

Tunc tuas terget lácrimas  
benígna Dei délixtera  
et inter sanctas ánimas  
loca dabit florígera,

ubi vernos et ætéros  
flores admiráberis,  
ubi sine quovis fine  
felix spatiáberis.

Quanta tibi Deus ibi  
bona præparáverit,  
meditári sive fari  
nullus vivens póterit.

Ergo cum [tu] sis intratúrus  
in Dómini gáudium,  
curre [iam] lætus et secúrus  
ad supérnum bráviúm.

Nec cures de sciéntia,  
nec si dimíttis stúdiúm,  
nam cito scies ómnia  
in causa studens ómnium.

Ad Dei forte glóriam  
sperábas magna fácere,  
sed eius providéntiam  
non opórtet instrúere.

Iesus, qui novit plénius  
quid eléctis expédiat,  
de te quod est útilius  
tibi cleménter fáciat. Amen.<sup>12</sup>

<sup>12</sup> Process. saec. XIII; pro cantu cf. M. Barge, *Cantus pro benedictionibus SS. Sacramenti in Ordine Fratrum Prædicatorum*, Rome - Tournai 1909, pp. 220-223.

## IV

## ABSOLUTIONES SACRAMENTALES

## A) FORMULA PÆNITENTIALIS

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,  
quia peccávi nimis  
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ídeo precor beátam Mariám semper Víginem,  
omnes Ángelos et Sanctos  
et vos, fratres, oráre pro me  
ad Dóminum Deum nostrum.

Et minister concludit:

Misereátur nostri omnípotens Deus,  
et, dimíssis peccátis nostris,  
perdúcat nos ad vitam ætérrnam.

Omnes respondent:

Amen.

## B) RECONCILIATIO PÆNITENTIUM

1. *Ordo ad reconciliandos singulos pænitentes, ut in Ordine pænitentiæ liturgiæ Romanæ nuncupatur,*<sup>13</sup> hic aptatur pro peculiaribus adiunctis quæ ad infirmos pertinent: cum scilicet Eucharistia ipsis defertur, in sacramento Unctionis conferendo necnon et in Viatico ministrando.

---

<sup>13</sup> OP, nn. 41-47; vide etiam nn. 67 sqq.



## Invitatio ad fiduciam

2. Sacerdos infirmum ad fiduciam in Deum invitat his vel similibus verbis:

- A. Deus, qui illúxit in córdibus nostris,  
det tibi ut in veritáte agnóscas  
peccáta tua et suam misericórdiam.
- B. Spíritus Sancti grátia  
illúminet cor tuum,  
ut cum fidúcia confiteáris peccáta tua  
et cognóscas misericórdiam Dei.
- C. Dóminus sit in corde tuo,  
ut ánimo contríto confiteáris peccáta tua.
- D. Accéde cum fidúcia ad Dóminum  
qui non vult mortem peccatóris,  
sed ut convertátur et vivat.

*Infirmus respondet:*

Amen.

## Confessio peccatorum et satisfactionis acceptatio

3. Deinde infirmus peccata sua confitetur, præmissa, si potest, formula confessionis generalis (ex. gr. Confíteor).

Sacerdos, si opus est, pænitentem adiuvat ad integram confessionem peragendam, præbet ei consilia apta eumque hortatur ad contritionem culparum suarum, in eius memoriam revocans per sacramentum Pænitentiae christianum, moriendo et resurgendo cum Christo, in paschali mysterio renovari.

Si autem adiuncta expostulant, sufficit confessio generica.<sup>14</sup>

4. Deinde sacerdos infirmo proponit opus pænitentiae, orationem scilicet vel actus qui expriment eius adhæsiorem ad Dei beneplacitum, pro reparatione ordinis atque pro salute omnium hominum.

## Oratio pænitentis et absolutio

5. Deinde sacerdos pænitentem ad contritionem suam manifestandam invitat, quod infirmus potest facere his vel similibus verbis:

---

<sup>14</sup> Cf. OUI, n. 100.

- A. Dómine Iesu,  
 qui óculos cæcórúm aperuísti, infirmos sanásti,  
 peccatricem absolvísti et, post culpam,  
 Petrum in amóre tuo confirmásti,  
 súscipe deprecationem meam:  
 ómnia peccáta mea dimítte,  
 amórem tuum in me rénova,  
 da mihi in unitáte fraternitátis perfécte vívere,  
 ut salútem tuam homínibus váleam nuntiáre.
- B. Deus, Pater clementíssime,  
 ut pænitens fílius (fília) ad te convérsus (convérsa) dico:  
 « Peccávi advérsum te;  
 iam non sum dignus (digna) vocári fílius tuus (fília tua) ».   
 Christe Iesu, Salvátor mundi,  
 ut latro cui Paradísi portas aperuísti, rogo te:  
 « Meménto mei, Dómine, in regno tuo ».   
 Sancte Spíritus, fons amóris,  
 te fidénter ínvoco:  
 « Purífica me; da ut fílium (fíliam) lucis me ambuláre ».

6. Tunc sacerdos, manibus super caput infirmi extensis (vel saltem manu dextera extensa), dicit:

Deus, Pater misericordiárum,  
 qui per mortem et resurrectionem Filii sui  
 mundum sibi reconciliávit  
 et Spíritum Sanctum effúdit in remissionem peccatórum,  
 per ministérium Ecclésiæ indulgéntiam tibi tríbuat et pacem.  
 Et ego te absólvo a peccátis tuis  
 in nómine Patris et Filii ✠ et Spíritus Sancti.

Infirmus respondet:

Amen.

Post absolutionem

7. Loco proclamationis laudis Dei et formulæ dimissionis, sacerdos dicere potest:

Pássio Dómini nostri Iesu Christi,  
 intercéssio beátæ Mariæ Vírginis,  
 beáti Domínici et ómnium Sanctórum,

quidquid boni féceris et mali sustinúeris,  
sint tibi in remédium peccatórum,  
augméntum grátiae et præmium vitæ æternæ.<sup>15</sup>

Vel:

Liberávit te Dóminus a peccáto.  
In regno suo cælésti te salvum fáciat,  
in glória, in sáecula.

**Infirmus respondet:**

Amen.<sup>16</sup>

---

<sup>15</sup> Cf. BB, p. 32\*.

<sup>16</sup> OP, nn. 41-47 et 93.

## V

## ORDO CANTUS MISSÆ

Cantus hic infra selecti indicantur iuxta methodum et sigla *Missalis et Lectorarii O.P.*,<sup>16</sup> iidemque ad varias celebrationum species pertinent, pro parvo vel etiam maiore cœtu adstantium.

## A) PRO INFIRMIS

- IN** Respice in me (GOP 285; GR 284)  
**Vel:** Exaudi, Deus (GOP 126; GR 115)
- GR** Ego dixi, Domine (GR 279)  
**Vel:** In Deo speravit (GOP 309; GR 311)
- AL** In te, Domine (GOP 293; GR 296)
- OF** Sperent in te (GOP 287; GR 286)
- CO** Multitudo languentium (GOP 401; GR 471)  
**Vel:** Petite et accipietis (GOP 237; GR 314)

**Vel, simpliciore forma:**

- In** Tu, Domine (AG 192)
- Ps R.** Psalmus 11 - Salvum me fac (AG 171)
- Of** Deus adiuvat me (AG 204)
- Co** Clamavi (AG 165)

## B) PRO UNCTIONE INFIRMORUM

- IN** Exaudi, Domine, vocem (GOP 292; GR 291)  
**Vel:** Deus, in nomine tuo (GOP 124; GR 116)
- GR** Miserere mihi (GOP 116; GR 103)
- AL** Domine Deus (GOP 310; GR 317)  
**Vel:** Domine, exaudi (GR 334)

<sup>16</sup> Romæ 1985, pp. 421 sqq.

---

Antiphonæ et psalmi pro gratiarum actione post Unctionem:

- Ps 24 Ostende nobis (AG 266)  
 Vel: Benigne fac (AG 268)
- Ps 33 Quam bonus (AG 226)  
 Vel: Misericordia tua, Domine (AG 202)
- Ps 102 Domine Deus (AG 279)  
 Vel: Suavis Dominus (AG 285)

- 
- OF Exaudi Deus (GOP 112; GR 101)  
 Vel: Confitebor tibi (GOP 138; GR 123)
- CO Tu, Domine (GOP 104; GR 95)  
 Vel: Intellege clamorem (GOP 97; GR 82)

Vel, simpliciore forma:

- In Propter nomen tuum (AG 243)
- Ps R. Psalmus 17,2-30 - Adiutor meus (AG 238)
- Of Fortitudo mea (AG 222)
- Co Ego sum panis (AG 550)

C) AD MINISTRANDUM VIATICUM

Missa in qua datur Viaticum celebratur more solito, indicationibus autem Ritualis (nn. 85-87) servatis. Usus vero cantuum, integre vel partim, condiciones infirmi vel loci respiciat. Selectio igitur cantuum nonnisi parva hic infra præbetur, melodiis quidem simplicibus prædita.

- IN Cibavit eos (GOP 267; GR 377)  
 Vel: Sitientes (GOP 132; GR 114)
- GR Oculi omnium (GOP 334; GR 271)
- AL Caro mea (GOP 269; GR 378)
- OF Domine, fac mecum (GOP 117; GR 104)
- CO Manducaverunt (GOP 67; GR 278)

Vel, simpliciore forma:

- In Introibo ad altare (MG 97)  
Ps R. Psalmus 77,23-29 - Ego sum panis (AG 550)  
Of Cibavit eos (MG 98)  
Co Angelorum esca (AG 543)

Si vero, in ipsa celebratione, infirmus in exitu videtur vitæ, iuxta consuetudinem Ordinis dici vel cantari potest antiphona *Salve Regina*, et post expirationem responsorium *Subvenite sancti Dei et orationes in Rituali ad hoc prævisæ*.

#### D) AD IMPETRANDAM GRATIAM BENE MORIENDI

- IN Exaudi, Domine, ... adiutor meus (GOP 292; GR 291)  
GR Si ambulem (GOP 117\*; GR 125)  
AL Lætatus sum (GOP 5; GR 19)  
OF Domine, in auxilium (GOP 326; GR 331)  
CO Ego clamavi (GOP 288; GR 287)

Vel, simpliciore forma:

- In Ne discedas (AG 248)  
Ps R. Psalmus 84 - Misericordia et veritas (AG 255)  
Of Beati qui habitant (AG 252)  
Co In loco pascuæ (AG 224)

## INDEX GENERALIS

Præfatio [fr. Caroli A. Azpiroz Costa] . . . . .	3
Litteræ promulgationis Magistri Ordinis [fr. Timothei Radcliffe] . . . . .	7
Abbreviationes et sigla . . . . .	13
Constitutio Apostolica Pauli VI de Sacramento Unctionis Infirmorum . . . . .	17
Introductio generalis . . . . .	21

## ORDO UNCTIONIS

Caput I: IN VISITATIONE INFIRMORUM . . . . .	35
Caput II: DE COMMUNIONE INFIRMORUM . . . . .	45
Caput III: DE SACRAMENTO UNCTIONIS . . . . .	53
Caput IV: DE VIATICO . . . . .	67
Caput V: ORDO PRÆBENDI SACRAMENTA IN PERICULO MORTIS . . . . .	79
Caput VI: DE COMMENDATIONE MORIENTIUM . . . . .	94
Caput VII: DE OFFICIO POST OBITUM . . . . .	107
Caput VIII: FORMULARIA MISSARUM PRO LITURGIA INFIRMORUM . . . . .	114

## APPENDIX

I. LECTIONES BIBLICÆ	
a) Pro infirmis . . . . .	127
b) Pro commendatione morientium . . . . .	128

II. ORATIONES ET BENEDICTIONES	
a) Orationes super psalmos . . . . .	130
b) Benedictiones pro infirmis . . . . .	133
III. TEXTUS PRO COMMENDATIONE MORIENTIUM	
a) Formulæ breves . . . . .	135
b) Litanïæ Sanctorum . . . . .	136
c) Alii textus . . . . .	140
IV. ABSOLUTIONES SACRAMENTALES	
a) Formula pænitentialis . . . . .	142
b) Reconciliatio pænitentium . . . . .	142
V. ORDO CANTUS MISSÆ . . . . .	146





TYPIS VATICANIS